ORIGINVM MONASTICARVM LIBRI IV.

IN QVIBVS ORDINVM omnium Religioſorum initia ac progreſſus breuiter deſcribuntur.

AVBERTVS MIRAEVS BRVxellenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & S. Theologiæ Licentiatus publicabat.

Quibus, eodem Autore, dictarum Originum Auctarium, ſeu Liber quintus, & ORATIO in laudem S. THOMAE Aquinatis acceſſerunt.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus BERNARDI GVALTERI.
ANNO M. DC. XX.

Approbatio Censoris.

ORiginum Monasticarum libri quatuor, unà cum earundem Auctario seu libro quinto, & Oratione in laudem Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis, auctore D. AVBERTO MIRAEO, *nihil continent, quod aut bonis moribus, aut Catholicæ fidei sit contrarium, quinpotiùs plurima ad eorundem ornamentum ac decorem spectantia. Dignos itaque eos luce & typis censeo. Coloniæ Agrippinæ 27. Ianuarij 1620.*

Henr. Francken Sierstorpffius
S.Theol.D.Reg.Gymnasij
Laurent. librorum
Censor.

AM-

AMPLISSIMO PRAESVLI

D. PHILIPPO CAVERELLO ABBATI VEDASTINO,

MECAENATI BELGICO.

BEnedictinæ Familiæ quãta in Ecclesiam, quanta in Rempublicam Christianam sint merita, vel ipsæ regiones ac populi loquuntur, per sodales Benedictinos Christi signis primùm adscripti, aut denuò adserti.

Augustinus sanè, à Gregorio Magno in Britanniam missus, *Anglos*, Eualdi duo *Saxones* ac *VVestphalos*, VVilfridus & VVillibrordus *Hollandos*, *Zelandos*, *Vltraiectinos* & *Geldros*, Bonifacius *Germanos* & *Frisios*, Chilianus *Francones*,

 Ste-

Stephanus *Heluetios*, Amandus *Brabantos* ac *Flandros*, Adalbertus & Benedictus *Hungaros*, *Bohemos*, ac *Polonos*, Nicolaus *Noruegos*, Anſcharius & VVimo *Gothos*, *Danos*, alioſque Septemtrionalium prouinciarum incolas Chriſti doctrinâ imbuerunt. Et auorum memoriâ Bielius, *Indorum* Patriarcha, & Legatus Apoſtolicus renunciatus, ad ipſos Antipodas, & alio Sole calentes populos Euangelica ſigna primus tranſuexit.

Albericus & Lanfrancus primi *Berengarium*, Zuinglij, Caluini, aliorumque Sacramentariorum parentem cõfutarunt. Bernardus *Adynamiſtarum* cauſſam iugulauit: Humbertus *Græcos* ſchiſmaticos, & Petrus Damianus *Mediolanenſes* ad Eccleſię orthodoxę communionem reduxit. Calixtus II. Pontifex Imperio Romano pacem reddidit, & Vrbanus II. vniuerſam penè Europam ad arma Saracenis inferendã, Terramque Sanctam fortiter recuperandam excitauit.

Alcuinus Bedæ diſcipulus, & Caroli Magni Imp. præceptor, *Pariſienſem* in Gallia,

Gallia, Scotus verò, Alcuini sodalis, *Ticinensem* in Italia Academiam instituit: horum magistri *Oxoniensem* in Britannia excitarunt.

Ex istis, alijsq; toto orbe diffusis gymnasijs (nã in illustrioribus plerisq; Benedictinorum cœnobijs olim scholæ floruerunt) innumerabiles Antistites, ac viri libris editis clari, summo Ecclesiæ bono, prodierũt. Sunt qui Benedictinorũ *monasteria* quinquaginta duo millia, *Scriptorum* millia quindecim, *Sanctorũ* millia quattuor & quadraginta, *Episcoporum* millia quattuor, *Archiepiscopos* mille sexcentos, S. R. E. *Cardinales* ducentos, & *Pontifices Maximos* ampliùs viginti quinque enumerant.

Atque vt isti quidem voce & calamo, sic alij viribus & armis Rempublicam Christianam mirificè auxerunt ac propugnarunt. *Templariorum* certè magnum olim nomen ac virtus fuit: quibus Equites *Calatrauæ*, *Alcantaræ*, *Montesiæ* & *Mercedis* in Hispania, *Christi*, *Auisij*, & *Alæ* in Lusitania, *S. Mauritij* in Sabaudia, *S. Stephani* in Etruria, & alij alibi milites Benedictini successerunt.

Ad veterem porrò Benedictinæ vestræ familiæ gloriam velut postliminio reuocandam virtutemque pristinam excitandam, *Præsul amplissime*, tuo ære S. *Gregorij* collegium, in Academia Duacena, a fundamentis magnâ laude exstruendum curasti. In quo quidem collegio Benedictini tui non modò linguas tres eruditas, Latinam, Græcam & Hebræam, sed & Mathesim, Philosophiam, Theologiam, aliasque subliminiores disciplinas magno omnium applausu ac fructu publicè profitētur. Macte isto animo, *magne Præsul*, & *Origines* meas *Monasticas*, in quibus non pauca de vetustis Benedictinorū scholis notaui, benigno vultu accipe. Bruxellis pridie Id. Augusti, cIↃ.IↃC. XIX.

Rev.[da] *admodum Amplitudinis*
Vestræ Studiosissimus
Aubertus Miræus.

* * *

IN-

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER I.

ORDINVM AC CONGREGATIONUM sub regula S. Augustini militantium Origines.

LIBER II.

ORDINVM AC CONGREGATIONUM sub regula S. Benedicti militantium Origines.

Libri II. Cap. I.

Cap.

LIBER

LIBER III.

ORDINVM MENDICANTIum, Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Carmelitarum, & aliorum Origines.

Libri III. Cap. I.

Cap.

LIBER IV.

CLERICORVM REGVLARIum Congregationes variæ.

Libri IV. Cap. I.

NICO-

NICOLAVS ORLANDINVS *Libro 1. Historiæ Societatis Iesu.*

IVre quærere quis possit, cur in tanta Religiosorũ Ordinum copia, varietate, nobilitate, quibus & tãquam adminiculis sustentatur, & tanquam luminibus decoratur Ecclesia, Maiestas tamen illa, cuius spiritu totum Ecclesię corpus administratur, & regitur, nouas in ea familias, nouos ordines suscitet, & tanquam non contenta veteribus, alia ei præsidia comparet, alios denuo splendores accersat.

Caussæ 4. cur Deus nouos Ordines instituat.

Ac mihi quidem, præter arcana eius sapientiæ consilia, quæ rationum omnium momentis longè præponderant, causæ omnino quattuor in mentem veniunt, indicandæ perpaucis. Quarũ
1. ea princeps est, vt nouæ Satanæ machinationes ac technæ nouis item suæ Maiesta-

iestatis inuentis, nouis artibus eludantur.

Excogitârat inuidissimus hostis ad extinguendum omnem cultum sacræ Religionis, perdendamque innumerabilem vim animorum, vt vnum aliquem è monachorum numerò blandè seduceret, teterrimumque ei suum spiritum inhalaret, per quem toto terrarum orbe sua venena diffundens, tantò certiora suæ nequitiæ iacula figeret, quantò nequiorem satellitem nactus esset: tantò exploratiùs de Religione, de cæremonijs, de cœnobitica ac religiosa vita actum iri confideret, quantò venenata eius proles & longo vsu cœnobij, & singulari ostentatione doctrinæ ad perniciem inferendam videbatur instructior. Nec deerant pernobiles in orbe Christiano familiæ, seu Catholicæ doctrinæ præsidijs, seu sanctitatis splendore coruscæ, quæ ad eam pestem auertendam magno vsui, vti sunt, Ecclesiæ Catholicæ esse possent. Sed ne versutissimi draconis astutia Dei sapientiâ videretur inferior, opponendæ

Lutherū intellige.

* * fuê-

fuêre vicissim nouis impiorum cateruis nouæ piorum hominum acies, nouis diaboli satellitibus noui *Christi Iesu* ministri. Quorũ ex societate, tam præter opinionem tamque opportunè conflata Religio, satis indicat, & vnde, & quorsum ea edita ac procreata sit.

II. Proxima verò nouas condendi familias caussa est, vt veterum familiarum studia, quæ interdum aliquid de primis initiorum ardoribus, ipsa temporis diuturnitate, remittunt, nouarum acuantur exemplis. *S*æpe enim, quæ latebat inclusa virtus, æmulatione lacessita, se prodit, & quæ nullos nacta est æmulos, obsolescit. Vt enim, cùm ex quatuor rerum initijs pugna & certamen exarsit, tum maximè ad diuturnitatem viget incolumitas mundi; sic inter dicatas Deo familias vbi pia exarserit æmulatio, purissimus Dei cultus, & vera sanctitas efflorescit. Quantam iam inde ab ortu suo Societas *Iesu*, vt de alijs taceam, nullis dum vetustatis commendata suffragijs, nullis illustrioribus nobili-

tata

tata factis, vbicumque veſtigium po-
ſuit, æmulationis flammam iniecit?
Quàm multi ordines ſeſe ad induſtri-
am & priſtinas contentiones, nouo
inſpecto ordine, reuocarunt? Quàm
multi ſuas curas atque vigilias cùm in
excolendis perpoliendiſque ſe ipſis,
tum in fouendis tuendiſque proximis
intenderunt? Teſtatiſſima res hæc eſt
vel ex ipſo temporum ætatumque diſ-
crimine, ſi quis ætatem hanc cum æta-
te Patrum, & hæc tempora cum illis
temporibus comparare velit! Acce- III.
dit quòd ex ijs, quæ oriuntur, familijs,
aliæ alias, ad excolendam Domini vi-
neam, facultates & vires afferunt: nec
recens oritur diſciplina, quæ non ſin-
gulari aliquo officij munere Apoſto-
licæ famuletur Eccleſiæ: Vt nullam
temerè, ac fortuitò, ſed ſumma o-
mnes prouidentia ac conſilio inſti-
tutas, ac procreatas intelligas, ſi
cuiuſque vires atque functiones, &
quibus quæque ſit inſtructa, & ornata
muneribus, animaduertas. Conſenta-
nea quippe deſtinatis vſibus Deus, ve-
lut ſua dote ſingulas locupletat & or-

 nat,

nat, ſingularumque operam, ad ſuæ vineæ culturam, pro tributis cuique muneribus & donis, adhibet: ideoque certis ætatibus ac temporibus nouas creat. Societatem verò noſtram ipſam quoque habere præcipui aliquid, quo ei, quam dixi, vineę peculiarem operam locare poſſit, quid cunctandum eſt confiteri, cùm id omne diuini ſit muneris atque doni? Proprium eſt illi ſuas perpetuò operas, & quaſi colonos, ſponſione voti addita, habere promptos & expeditos ad obſequium Romani Pontificis: vt quocumque ille iuſſerit, Euangelij cauſſa, ſine recuſatione contendant. Proprium eſt nullo certo loco conſiſtere, perſcrutari plagas omnes, vt ingentia vndique Christo Domino animarum lucra conquirant. Proprium item toto orbe terrarum expoſita gratis habere gymnaſia ad inſtituendam non modò liberalibus diſciplinis, verùm etiam Chriſtianis moribus iuuentutem. Proprium denique eius (tametſi in hoc æmulas habere iam cœpit) Chriſtianæ legis elementa puerorum ætatulis, & imperitæ

Societatis Ieſu functiones propriæ.

ritæ

itæ multitudini passim tradere. Quæ quidem omnia, & si quæ sunt alia, si secum ipse quis reputet; & quanto Ecclesiæ bono ista gerantur, expendat; facilè sentiet, cur in tanta disciplinarum copia alias atque alias diuina prouidentia moliatur ac struat.

Verùm ad ipsum docendum ne illa IV. quidem minùs efficax ratio est, quòd augendis Religionum Ordinibus ipsa quoque in Ecclesia varietas, quę fons est pulchritudinis omnis, amplificatur, & crescit Nam vt in condendo mundo fabricator tanti operis, vt suæ in eo vestigia pulchritudinis adumbraret, & de thesauris suis, ex illo immensitatis Oceano, suppeditaret aliquid, infinitarum eum rerum varietate distinxit: vt ea de caussa Græci, propter insignem speciem, κόσμον, Latini *Lucentem* seu *Mundum* nominarint; sic in Ecclesiæ corpore, quam quotidie sibi velut vnicam sponsam exquisitiùs adornat, & nouis quodammodo splendoribus ad elegantiam expolit, spectabilem quandam ex omni ordinum, ac familiarum genere varietatem admiscet.

Quæ tanta tamque admiranda in omni statu, ac natura varietas, non tam quia spectabilis, ac decora, quàm quia peropportuna, & sæpe necessaria probatur, ab summo illo ac sapiente Opifice videtur inuenta. Quorsum enim ad capiendos humani corporis sensus tam multiplex est reperta varietas? Cur pascendis singulis singula rerum inuenta sunt genera colorum, sonorum, saporum, odorationum atque tactionum? Quorsum tot animantium species? tot locorum ac regionum, tot oppidorum tanta descriptio? Quorsum tanta in his notis visitatisque naturis formarum generumque dissimilitudo? Num ad vniuersi dumtaxat ornatum ac voluptatem, an etiam ad multiplicem hominum vsum atque opportunitatem, quorum gratia eam, quam dixi, varietatem excogitauit diuina solertia?

Nimirum naturæ hominum variæ, voluntatesque tam multa, tamque inter se distantia ac dissimilia rerum genera requirebant, vt qui re aliqua minùs capitur & afficitur, ei numquam

uam in tanta varietate deesset,quod ius mulceret sensum, & velut arrileret palato. Par in disciplinarum nultitudine varietatis est ratio, quam dcirco prouidentia Dei sua in Eccleia tam est machinata solerter,vt varijs iominum voluntatibus & ingenijs, noribus ac naturis, constitutioniius corporum, atque viribus indulgeret; nec in tanta familiarum copia leesset vmquam, quæ cuique præ ceeris probari posset, & quò suus quemque nutus ac voluntas impelleret. Argumento est, quòd multi,qui se ad ertam aliquam disciplinam appuerunt, numquam se ad aliam forsian inclinarent, nisi congruentem llam cum suis moribus inuenirent.

Quàm multi autem in hac noua ninimaque familia societatem inière iobiscum, qui, nisi ea edita in lucem ſſet, in suis adhuc tenebris permaierent, nec vllum de Religione conilium, mentemque susciperent?

Nouarum igitur familiarum ortus in fructu diuinæ ponendus est saiientiæ, quæ & cuiusque priuati mo-

ribus

ribus sensibusque, & vniuersæ Ecclesiæ decori ac pulchritudini, & cęterarum disciplinarum bono atque commodo, & præsenti temporum necessitati opportunitatique voluit esse prospectum. *Hactenus Orlandinus.*

ORI-

ORIGINES ORDINVM AC CONGREGATIONVM ſub regula S. Auguſtini militantium.

LIBER I.

CAP. I.

S. Auguſtini vita & translatio breuiter recenſetur.

AVguſtinus Tagaſte in Africa honeſtis parentibus natus, ac puer docilitate ingenij ęquales longè ſuperans, breui omnibus doctrina antecelluit. Adoleſcens, dum eſſet Carthagine, in Manichæorũ hæreſim incidit. Poſtea Romam profectus, inde Mediolanum miſſus, vt Rethoricam doceret, cùm ibi frequens Ambroſij Epiſcopi eſſet auditor, eius opera incenſus ſtudio Catholicæ fidei, annos natus triginta tres ab ipſo baptizatur. Reuerſus in Africam, cum religione vitæ ſanctimoniam coniungens, à Valerio notæ ſanctitatis Epiſcopo Hippo-

nenſi presbyter factus eſt. Quo tẽpore familiam inſtituit religioſorum, quibuſcum victu communi, eodemque cultu vtens, eos ad Apoſtolicæ vitæ doctrinæque diſciplinam diligẽtiſsimè erudiebat: ſed cùm vigeret Manichæorum hæreſis, vehementiùs in illam inuehi cœpit, Fortunatumque hæreſiarcham confutauit.

Hac Auguſtini pietate commotus Valerius, eum adiutorem adhibuit Epiſcopalis officij. Nihil illo fuit humilius, nihil continentius. Lectus ac veſtitus moderatus, vulgaris menſa, quam ſemper ſacra vel Lectione, vel diſputatione condiebat. Tanta benignitate fuit in pauperes, vt cùm non eſſet alia facultas, ſacra vaſa frangeret ad eorum inopiam ſuſtentãdam. Feminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ contubernium familiaritatemque vitauit. quippe qui diceret, etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere. Nullum finem fecit prædicandi Dei verbum, niſi graui morbo oppreſſus. Hæreticos perpetuò inſectatus & coram, & ſcriptis, ac nullo loco paſſus conſiſtere; Africam à Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, aliorumque præterea hæreticorũ errore magna ex parte liberauit.

Tam multa piè, ſubtiliter, & copioſè ſcrip-

ſcripſit, vt Chriſtianam doctrinam maximè illuſtrârit. Quem in primis ſecuti ſunt, qui poſtea Theologicam diſciplinam via & ratione tradiderunt. VVandalis Africam bello vaſtantibus, & Hipponem tertium iam menſem obſidentibus, in febrim incidit. Itaque cùm diſceſſum è vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos profuſis lachrymis legebat. Solebat autem dicere neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, vt ſine pœnitentia migraret è vita. Ergo ſenſibus integris in oratione defixus, aſtantibus fratribus, quos ad charitatem, pietatem, virtuteſque omnes erat adhortatus, migrauit in cœlum Vixit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex. Cuius corpus primùm à B. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi anno 504. in Sardiniam delatum, deinde à Luitprãdo Longobardorum Rege magno pretio redemptũ, Ticinum translatum eſt, ibique honorificè conditum. Vbi ad hæc vſque tempora, loco theſauri inæſtimabilis (licèt locus ignotus ſit) in æde S. Petri in Cœlo aureo aſſeruatur.

In eodem templo quieſcit corpus *S. Seuerini Boetij*, Martyris & Philoſophi, cum Epitaphio marmori inſcripto.

S. Poſſidonius ſeu Poſſidius Epiſcopus Cala-

mensis, qui S. Augustini magistri sui vitam scripsit, quiescit Mirandulæ in Italia, illius vrbis patronus ac tutelaris: vbi sacrum eius corpus magnam habet venerationem. Ita tradit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

Vitam S. Augustini annis superioribus accuratè post alios scripsit amicus noster R. P. Cornelius Lancelottus, Prior Eremitarum Augustinianorum Antuerpiæ, & typis Plantinianis publicauit.

CAPVT II.

Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini variæ Congregationes.

CAnonicorum Regularium cœnobia alia suis Ordinarijs, seu Episcopis locorum, in quibus situm habent, reuerenter subsunt; alia à Diœcesanorũ visitatione exempta varias in Congregationes sunt distributa, & suis Præfectis peculiaribus parent.

Congregationes inter eminent *Lateranensis* seu *Frisonaria* in Italia, *S. Rufi* in Gallia, *Aroasiensis* in Belgio, *VVindesimensis* in Germania superiore & inferiore: de quibus & alijs fusè egi in libro nostro de Canonicis Regularibus Coloniæ anno 1614. edito.

Ad Cõgregationem Italicam quod attinet, legitur hodieq; in monasterio B. Marię Frisonariæ, haud procul ab vrbe Luca hęc inscriptio:

Saluatori Christo, ac sanctæ spei matri Mariæ, Canonici Regulares ab Apostolis primùm, Diuique Augustini norma, sub Apostolicis regulis instituti, iam pridem in hoc cœnobio arctiùs Deo dicati, hinc per Italiam sub titulo Lateranensi dilatati, hanc ædem vetustate labantem restituêre anno gratiæ millesimo quadringentesimo primo.

Fuit autem huius reformatæ Congregationis primus auctor *Bartholomæus Colũna*, nobilis Romanus, qui anno 1396. floruit, & in dicto Frisonario Canonicam disciplinam primùm restituit, quæ totam postea Italiam est peruagata titulo Congregationis Lateranensis, à Basilica Lateranensi sic dicta. Quo quidẽ in templo vixere Canonici Regulares vsque ad tempora Sixti IV. Papę, qui ipsis inde amotis Basilicam S. Mariæ pacis adsignauit, quam hodieq; possident. In Lateranensi autem Basilica nunc resident Canonici sæculares, vt vocant.

Ioannes Philippus Nouariẽsis lib. 3. Chron.

Congregatio *S. Rufi* per B. Rufum Lugdunensem Archiepiscopum circa annũ *1107.* est incohata: & meminit illius Ioachimus Abbas commentario in Apocalypsim.

CAPVT III.

Congregationes Canonicorum S. Georgij in Alga, & S. Spiritus apud Venetos.

VTūtur isti veste cęlestini seu azurini coloris. Primi huic familiæ nomen dedere *Antonius Corarius*, Gregorij XII. Papæ nepos, & *Gabriel Gondelmerius*, qui pòst Eugenius IV. Papa fuit, vt in huius vita Ciaconius commemorat. Nonnulli scribunt hos Canonicos Georgianos militare sub regula S. Augustini. Paulus Morisus in fine libri 3. dicit eos viuere solitos ex præscripto quarumdam constitutionum priuatarum, nec solennem emisisse professionem ante annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum, quo id Pius V. Papa ipsis iniunxit. Consule & eumdem Morisum lib. 1. cap. 43. quo loco adserit, Congregationem hanc S. Georgij primùm incohatám esse à dicto Antonio Corario, postea verò auctam atque illustratam à *S. Laurentio Iustiniano* Patriarcha Veneto, iuxta inscriptionem sepulchralem eiusdem Corarij, quæ talis legitur ad D. Georgij in Alga: *Sepulchrum pijssimi Patris D. Antonij Corarij Beatæ memoriæ Episcopi Ostiensis, Cardinalis Boloniensis, fundatoris huius Congregationis: qui obijt anno 1445. die 29. Ianuarij. Orate pro eo semper.*

Est

Est & altera Congregatio Canonicorum Regularium apud Venetos, quæ à *Sancto Spiritu* nomen habet, per *Gabrielem Spoletinum* anno 1415. instituta.

CAPVT IV.

Ordinis Præmonstratensis origo.

INter Canonicos Regulares etiam recensentur *Præmonstratenses*, à S. Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi anno 1120. instituti, & à *Præmonstrato*, primò illius instituti cœnobio, in diocœsi Laudunensi sito sic dicti. Exstat huius Ordinis Chronicon à nobis magno labore concinnatum, & Coloniæ anno 1613. publicatum: ad quod curiosũ Lectorem remittimus. Sanctis porrò ac Beatis, à me dicto in Chronico recensitis, isti poterunt adiungi.

B. *Ludouicus* Comes, & fundator Abbatiæ Arensteinianæ, in diocœsi Treuerensi, ibidem Conuersus, an. 1185. obijt, VIII. Kal. Nouembris. Eius vitam edidit Christophorus Brovverus Societatis Iesu, Mogũtiæ an. 1616. in libro, cui titulus, *Sidera Illustrium, & SS. virorum Germaniæ.*

B. *Garenbertus*, Abbas Montis S. Martini, in diocœsi Cameracensi: de quo vide Molanum in Natalibus SS. Belgij.

B. *Elco*, Liaucama cognomẽto, Abbas Lidlumẽsis, in Frisia Occidentali, & diocœsi Leovvardiensi, an. 1332. martyrio coronatus triduo ante festum Annunciationis Deip.

B. *Gertrudis*, filia S. Elizabethæ Lantgrauiæ Hassiæ, virgo & Abbatissa Aldenbergensis, in diœcesi Treuerensi, an. 1297. in Domino obdormiuit, ipso die S. Hippolyti.

B. *Radigundis*, virgo, quiescit in monasterio Charitatis, haud procul à Ciuitate Roderici, quæ est vrbs Episcopalis Hispaniȩ. De quo monasterio nos in Chronico Præmonstratensi egimus anno 1170.

CAPVT V.

Ordo Hospitalariorum S. Antonij, per Gastonem virum nobilem circa annum 1121. excitatus.

1121. CIrca annum Christi 1121. *Gasto*, vir nobili genere in prouincia Viennensi natus, eiusque filius *Girondus* floruerunt, quibus auctoribus S. Antonij societas, apud Motam, Viennensis diœcesis opidum, sumpsit exordium. Huius instituti sodales, pietatis officio intenti, pauperibus, mutilis, sacro igne tactis, cæterisque ægris ac debilibus hominibus subleuandis, ac sustentandis operam in primis id temporis dabant. Cui rei significandæ putāt nonnulli à *Gastone* & *Girondo* adsumptam figuram Grecæ litterȩ T. seu signum Potentiȩ, vt Galli baculum seu scipionem, sustentandis debilibus proprium, suo idiomate vernaculo,

naculo nuncupant: etsi alij alias caussas adsignent. Apud Ezechielē certè Prophetam illi duntaxat memorantur signo *Tau* fuisse notati, qui abominationes in ciuitate fieri solitas detestabantur: de quibus etiā dictum, *Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis.* Cap. 9.

Ceterùm nata est societas ista occasione corporis *S. Antonij*, ex vrbe Constantinopolitana in prouinciam Viennensem allati per *Iocelinum* castri Albenciani, & Motæ Sancti Desiderij dominum. Cui quidem decenter collocando, idem apud Motam ditionis suæ opidum (quod hodiè *S. Antonij* dicitur) basilicam à fundamentis exstruere cœpit: sed morte præuentus perficere non potuit. Iocelini sine liberis defuncti hereditatem iure propinquitatis adijt vir nobilis *Guigo Desiderius*, qui iussu Vrbani II. Papæ (per prouinciam Viennensem versus Clarum-montem ad concilium ibidem celebrandum iter facientis) incohatam basilicam perfecit, atque in ea S. Antonij reliquias honorificè collocauit. Et ne quid deesset, instituti Benedictini monachos ex monasterio S. Petri, quod Montis-maioris in diœcesi Arelatensi nuncupant, aduocauit, & basilicam ab ipso Calixto II. Papa anno 1119. dicandam ac consecrandam curauit. Grassabatur id temporis per Galliam sæua lues ignis ardentis: cuius meminere Sigebertus Gemblacensis, Vincentius Bellonacensis, & alij. Quo fa-

ctum, vt maximus hominum ægrorum concursus ad Motensem S. Antonij Basilicam sit factus: plurimiq; sani atque ab omni morbo liberi, meritis sancti viri, domum redierunt. Inter alios vir nobilis *Gasto*, ex prouincia Viennensi oriundus, eiusque filius *Girinus* seu *Girodus*, à graui vterque morbo est liberatus. Itaq; Gasto, vnà cum filio, se & sua omnia S. Antonio obtulit, & totum se dedit curandis ægris, atq; igne sacro saucijs, qui magno numero quotidie Motam confluebant. Huic pio misericordiæ operi intentis alij octo plus minus viri paullò pòst sese adiunxerunt; sanctissima inter se inita societate. Atque hæc quidem prima ordinis Antoniani origo fuit, vnde & distichon:

Gastonis voto sociatis fratribus octo,
Ordo est hic cœptus, ad pietatis opus.

Creuit postmodum societas ista, estque ab Alexandro IIII. Vrbano IIII. Clemente IIII. Bonifacio VIII. & alijs varijs Pôtificibus Romanis confirmata.

Mortuo Gastone, fratres hospitalis siue domus eleemosynariæ S. Antonij Magistrũ, seu Præceptorem elegerunt Stephanum sacerdotem pium ac venerabilem. Huic anno 1131. defuncto successit *Hautelinus*, *Sofredus*, & sic alij ex ordine, vsq; ad annũ Christi 1297. quo Bonifacius VIII. Prioratum S. Antonij, amotis monachis Benedictinis, in dignitatem Abbatialem commutauit, diplomate apud vrbẽ

veterem

veterem IV. Idus Iunij dato, anno Pontificatus sui tertio: *Habito, inquit, fratrũ nostrorũ cõsilio & adsensu, prædictum Prioratum cum omnibus Ecclesiis, mẽbris, iuribus & pertinẽtijs suis ab omni spirituali & temporali potestate, iurisdictione, dominio, iure, subiectione, obedientia, & dispositione quacumque monasterij Montis-maioris, nec non Abbatis & conuentus eiusdem monasterij eximimus, ipsumq; ab eis decernimus liberum penitus & exemptum. Priorem, monachos, conuersos & alios quoscumq;, si qui sint in ipso Prioratu per Abbatẽ & conuentum, vel eorum mandato seu auctoritate per alios forsan deputati, ab eo totaliter amouẽtes; eisdẽq; Priori, monachis, & conuersis præcipiẽtes, vt ad dictũ monasteriũ redeãt inibi Domino seruituri. Porrò volumus & mandamus, vt in eodem monasterio & hospitali ac membris regula D. Augustini seruetur, & secundùm eandem dicti Abbas & Canonici ac fratres perpetuò viuere teneantur. Habitum verò cum signo, quod Potentiam vocant, in honorem ipsius beati Antonij tam Abbas quàm Canonici seu fratres prædicti, iuxta morem solitum ipsius hospitalis, semper & quocunque deportent.*

Primus porrò Antoniani apud Viennẽses seu Motenses monasterij Abbas ex Domino seu Magistro vltimo fuit *Haimo*: quo agente Bonifacius VIII. Basilicã S. Andreę in vrbe Romana Antonianis adtribuit. Haimoni an. 1316. defuncto in Abbatiali dignitate successit *Pontius Arelacus*, & sic longâ serie alij ad nostra vsque tempora.

Fuit

Fuit autem hæc ſocietas ab initio, veluti fraternitas quædã ſæcularis, ad exercenda ſanctæ caritatis opera; quæ paulatim ad ſublimiorem ſtatum prouecta, cuſtodiã corporis S. Antonij patroni ſui obtinuit, & iuxta regulam S. Auguſtini cœpit viuere, ac demum à plurimis Pontificibus Romanis eſt approbata. Suntq; hodiè plurimi illius inſtituti monaſteria per Galliam Aquitanicã, Celticam, Belgicam, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, aliaſque orbis Chriſtiani prouincias: quorum præfecti proprio ac peculiari nomine *Præceptores* nuncupantur.

Atque hæc quidem ex Antoniana hiſtoria Lugduni anno 1534. edita excerpſimus, quam *Aimarus Falco*, Præceptor domus S. Antonij Barri-ducis, poſt legationem apud Clemẽtem VII. totius ordinis ſui nomine obitam, conſcripſit. Addit idem *Iacobum* Ieroſolymorum & Siciliæ Regem, Comitemque Caſtrenſem, in ſignum adſumptæ protectionis atq; adfectus in hunc ordinem, teſtamẽti tabulis anno 1423. cõditis, heredibus ac ſucceſſorib. in perpetuum ſuis mandaſſe, vt Antoniani ordinis ſymbolum collo appẽſum, id eſt, Potentiam, ſiue notam T. ex auro puro, vnà cum campanula geſtarent.

Notæ T. ſeu Potentiæ meminit & Bonifaci' VIII. Papa in ſuo diplomate, ſuprà à nobis citato, quam ſodales Antoniani ex auro argentove conflatam, collo appenſam velut

teſſeram

tesseram gestant.

Huius ordinis insigne monasteriũ visitur Traiecti ad Mosam, quod apud Belgas nunc est vnicum: cetera namque desierunt.

Totius ordinis caput, vt dixi, est S. Antonij Abbatia in diœcesi Viennensi sita.

CAPVT VI.

S. Antonij vita breuiter ob oculos ponitur.

ANtonius AEgyptius nobilibus, & Christianis parentibus natus, quibus adolescẽs orbatus est, cùm ingressus Ecclesiam ex Euangelio audiuisset: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimauit. Itaque vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, cœlestis vitæ genus in terris colere instituit. Sed cũ in periculosum illud certamẽ descenderet, ad fidei præsidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putauit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, vt quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret.

Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia,

ricordia, humilitate, labore, ac studio diuinarum Scripturarum superabat omnes. Ab hæreticorum & schismaticorũ hominum, maximè Arianorum, congressu & colloquio sic abhorrebat, vt ne propè quidem ad eos accedendum diceret. Humi iacebat, cùm eum necessarius somnus occupasset. Ieiunium autem adeò coluit, vt salem tantummodo ad panem adhiberet; sitim aqua extingueret: neq; se ante Solis occasum cibo aut potu recreabat, sæpè etiam biduum cibo abstinebat: sæpissime in oratione pernoctabat. Cùm talis tantusque Dei miles euasisset *Antonius*, sanctissimũ iuuenem hostis humani generis varijs tentationibus aggreditur, quas ille ieiunio, & oratione vincebat. Nec verò frequens de Satana triumphus securum reddebat Antonium, qui diaboli innumeras artes nocendi nouerat.

Itaque contulit se in vastissimam Aegypti solitudinem: vbi quotidie ad Christianam perfectionem proficiens, dæmones (quorum tantò erant acriores impetus, quantò *Antonius* ad resistendum fortior euadebat) ita contempsit, vt illis exprobaret imbecillitatẽ: ac sæpè discipulos suos excitans ad pugnã contra diabolum, docensque quibus armis vinceretur: *Mihi credite*, dicebat, *fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariã paupertatem, misericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit.*

git. Sic autem dæmonibus erat formidolosus, vt multi per Aegyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij liberarentur: tantaque erat eius fama sanctitatis, vt per litteras se eius orationibus *Cõstantinus magnus* Imp. & filij cõmendarent. Qui aliquando quintum & centesimum annum agens, cùm innumerabiles sui instituti imitatores haberet, cõuocatis monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate & miraculis clarus migrauit in cęlum decimo sexto Kalend. Februarij.

S. Antonij res gestas scripsere S. Athanasius, S. Hieronymus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alij.

CAPVT VII.

Ordo Guilielmitarum, per S. Guilielmum Aquitaniæ Ducem institutus.

GVilielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauorum Comes, cùm schisma aduersus Innocentium II. Pontificem maximum fouisset, & eos, qui verum Pontificem sectantes, Petrum Leonem pseudopapam execrabantur, minis & terroribus exagitasset, alijs eiectis, alijs carceri inclusis, à *S. Bernardo* Abbate ad eum profect-

fecto, & cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in manibus, quo magis illum deterreret, loquente mirabiliter conuersus est. Nam ad Eremitam seu solitarium hominem, qui sanctitate clarescebat, se contulit, illum, quid sibi agendum esset, consulturus: qui, vt ferream loricam super corpore nudo, & habitu vili indutus in morem peregrini, summũ Pontificem veniam petiturus adiret; auctor fuit. Quare *Guilielmus* Eremitæ monitis obtemperans, ad Innocentium Pontificem supplex venit, seque, quis esset, & qua de caussa venisset, aperuit. Quod cùm Pontifex vix crederet, illum pro pęnitentiâ suscipiendâ ad Hierosolymitanum Patriarcham remisit. Profectus itaque Hierosolymam, & à Patriarcha pœnitentiam postulans, ab eo cognitus (Patriarcha enim Guilielmi olim Capellanus seu pædagogus fuerat) perhumaniter exceptus fuit: acceptaq; ab eo pœnitentiâ, quam sibi asperã imponi voluit, peragratâ Palæstinâ, Romã, & in Hispaniam ad S. Iacobi Apostoli reliquias venerandum peregrinatus est: alisque peregrinationibus peractis, demum cùm secundò Hierosolymam redijsset (vbi à Saracenis captus multa perpessus est) in Hetruriam veniens, in ditione Senensi apud Rosetum seu Grossetum in loco, qui Stabulũ Rodis dicebatur, in solitudine reliquum vitæ sanctissimè multis clarus miraculis confecit. Ita Ferrarius libro de SS. Italiæ.

Cete-

Ceterùm grauis eſt quæſtio apud Scriptores, an ordo Guilielmitarum ſub regula S. Auguſtini, an S. Benedicti militet. Sampſon Haius Guilielmita Pariſienſis in ſuo libro de veritate vitæ & ordinis S. Guilielmi, Pariſijs anno 1588. edito contra Volaterranum Iac. Bergomenſem, Onuphrium, Ioſephum Pamphilum, & alios, multis probat Guilielmitas regulam Benedictinam ſequi, & ideo iuxta eius præſcriptum in nocturnis horis duodecim lectiones feſtis diebus hodieque recitare; cùm Eremitæ Auguſtiniani, qui eos ad ſuam regulam trahere conantur, non niſi nouem lectiones recitent. Vt vt ſit, hoc conſtat, multa olim Guilielmitarum monaſteria Eremitis Auguſtinianis acceſſiſſe. De his vide plura infrà lib. 2. de Ordinibus Benedictinis.

CAPVT VIII.

Ordo S. Trinitatis de Redemptione Captiuorum, per Ioannem Matham institutus, an. 1197.

ORdinem iſtum inſtituit *Ioannes Matha* apud Gallos in Prouincia natus. Doctor Theologus Pariſienſis anno Chriſti 1197. vt in eius Epitaphio legitur Romæ in baſilica S. Thomæ de Formis, in monte Cœlio; *Anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCVII. Pontificatus*

verò Innocentij III. anno primo, institutus est ordo sanctissimæ Trinitatis à fratre Ioanne, &c.

Alij dicunt hunc ordinem inchoatum an. 1196. in monasterio *Cerui Frigidi* in Gallia, vt patet ex hisce versiculis, quos Choppinus li. 1. Monasticorum, tit. vltimo, art. 12. recitat.

Milleno ducenteno quarto quoq; dempto,
In Ceruo Gelido Triadis fit primitus Ordo.

Ceterum primum huius ordinis monasterium Romæ ab Innocentio III. Papa exstructum est, & S. Thomæ de Formis nuncupatum. Totius Ordinis Præfectus seu Minister generalis sedem ac domiciliũ summũ habere solet in monasterio Cerui Frigidi apud vrbem Meldensem in Gallia: quo in loco etiam Capitulum quotannis generale celebrari olim consueuit. Floret ordo iste maximè in Hispania, Gallia & Belgio, vocantque Pręfectos suorum monasteriorum Ministros. Hodie Minister seu Præfectus Generalis plerumque residet Parisijs apud Maturinos.

Primam huius instituti originem ex Roberti Gaguini Annalibus Galliæ, alijsq; monumentis fusè describit Iacobus Burgesius Prouincialis per Belgium Minister, in statutis ordinis S. Trinitatis Duaci an. 1586. excusis.

AEtate Innocentij III. Romani Pontificis, pietatis feraci, ordo sanctissimæ Trinitatis de Redẽptione captiuorũ initiũ cepit, auctoribus *Ioãne de Matha* ex Prouincia oriundo, & *Felice* Anachoreta Valesiensi. Hic Ioannes D. Theol. Parisiensis, tædio vitæ sęcularis affe-

ctus, odio mundũ habuit: vnde initiatus sacerdotio meruit cõsolationẽ accipere diuinitus, dũ se Angelus veste cãdida indutus, & crucè bicolori insignitus videndũ præbuit. Eã aũt visionẽ boni ominis nunciã interpretatus, secescit ad eremum: vbi *Felix* vitã solitariã agebat, in loco qui *Ceru' Frigidus* dicitur, eò quòd ad collis radicẽ fons scaturiat limpidissimus, ad quẽ ex finitima silua solit erat venire ceruus candidissimus refrigerandi se causa: vnde & locus dictus est Ceruus Frigidus. In eo loco per triennium egit cum Felice Ioannes, pari & cõsentiẽte in bonũ animo. Interim diffundebatur suauis odor nominis eorũ, & ad se venientib. salutis pabula verbo & opere ministrabant. Sed in ea viuẽtes libertate absq; definita regula, & legitimis institutis, timẽtes errorem posse cõtingere, dũ cõcupiscẽtię nõ resistitur, dũ sibi quisq; lex est, ter in sõnis à cęlesti nũcio admonẽtur, vt Rom. adirẽt Pontificẽ, accepturi certã vitę regularis normã. Pergũt igitur per durã hiemẽ feruẽtes charitate sancti viri, ad Summũ Pontif. Innocẽt. huius nominis III. omniũ religionis monasticæ amantiũ dulce asylũ: quẽ cũ cõuenissẽt, simili eũ reuelatiõe honoratũ cognouerũt. Quãobrẽ benignissimè ab eo excepti sũt hospitio, ad V. vsq; Kal. Febr. cũ dies festus Agnetis secũdò agitur. Tũ Põtifex rẽ diuinã faciens, dum S. Eucharistiam circunstantibus ostendit, Angelum Dei videt multo candore fulgentem

 cancel-

cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tamquam eos commutaret. Huic Angelo crux rubri, & azurei, seu cærulei coloris ad pectus eminebat. Quo viso, & re diuina confecta, anachoretas ad se vocans; *Iam,* inquit, *filioli, aduerto Dei spiritu vos duci: dabo vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit, respondentia, & eritis primitiæ Pontificatus nostri, quos diuina bonitas vult noui & sacri ordinis esse auctores.* Consutis igitur tunicis, Ioannem & Felicem candidis vestibus decorauit, superaddita cruce, qualem Angelus ostendisset: additque nouo ordini titulum *de Trinitate & Redemptione captiuorum,* declarans primò in vestimentis eorum tres reperiri colores; album, qui Patrem Deũ repræsentat, qui principium est sine principio, vt albedo extremus est color, nulli alieno colori permixtus; & secundum, qui azurius seu cęruleus est color, denigrationẽ & obfuscationem referens, Christum significat, cuius caro cruciatu & dolore fuit contusa & denigrata. Tertium verò colorem rubeum, qui quidem ardorem significat, & Spiritum sanctum exprimit, qui ignis est, & flammam inspirat cordibus credentium. Admonuit eos præterea his verbis: *Candor, ô filioli, conscientiæ puritatem atque munditiem, qua fulgere vos decet, exprimit; crux verò qua parte rubea est, feruorem charitatis in Deum signat; altera autem, quæ contusæ carni similis*

milis est, Christi paßionis memoriam præ se fert: vt nostræ redemptionis ab inferis memores, perseuerante metu Deũ diligatis atque colatis. Quos verò Angelus dex[illegible] sinistraq́ue inuicem commutare videbatur, eos puto repræsentationem facere liberandorum captiuorum, quos Christum imitãtes postea redempturi estis: vt pretio redemptionis dato, Christianos è Saracenorum manibus, ac seruitute eximatis, vel aduersæ legis hominẽ pro eo, qui Christianæ fidei professor est, commutetis. Et quia festo die (vt diximus) B. Agnetis Martyris, quæ bona sua trifariam distribuerat, visio contigerat, voluit summus Pontifex fratres ordinis bona, quæ deinceps posſiderent, in tres partes diuidere; ita vt vna esset ad fratres alendos, qui cultui diuino inseruirent; altera ad hospitio excipiendos Christi pauperes reponeretur & tertia pars in redemptionem captiuorum detentorum ab infidelibus seruaretur. Atque idcirco monachos ordinis S. Trinitatis de Redemptione captiuorum voluit appellari. Constructo autẽ nõ longè à Laterano in monte Cœlio Romæ monasterio, & S. Trinitati dicanda Ecclesia (in cuius porticu videtur adhuc visionis supradictę simulacrum effigiatum) iusſit idem Pontifex, vt *Ioannes Matha*, (remiserat enim *Felicem* Anachoretam in Gallias ad dicti ordinis propagines dilatandas, pro nominis diuini gloria & humanæ salutis augmento) ibidem Deo deseruiret cum fratribus asſumptis. Eam ob rem concesſit illi

sancto viro eiusque successoribus regularem vitam obseruantibus Ecclesiam *Sancti Thomæ & S. Michaelis de Formis*, sic dictam, quòd non longè à formis, id est, aquæ ductibus sita sit in monte Cœlio, cum possessionibus, & omnibus alijs eò pertinētibus, nec non Ecclesiam *S. Saluatoris* (vt habet confirmatio Honorij III. Pontificis Romani, adseruata in bibliotheca Vaticana) sitam in loco, qui dicitur mons Sanctus, ad castrum Verelatense, in diœcesi Spoletana, cum omnibus eò pertinentibus, & in diœcesi Tudertēsi Ecclesiam *B. Mariæ de Lantano* cum omnibus eò pertinentibus; in diœcesi Anicliensi Ecclesiam *S. Trinitatis*, iuxta castrum Albani, cum omnibus eò pertinentibus; in Vrbe Ecclesiam *S. Isidori*, & totum montem maiorem post Absidiam; item plures alias possessiones, quas recenset dicta confirmatio Honorij Pōtificis, qui, vt prædecessor eius Innocentius tertius, omnes dictas Ecclesias, & fratres inhabitantes eas, sub B. Petri, & sua protectione suscepit. In hoc autem monasterio cùm sanctè & regulariter vixisset Ioannes Matha, primus maior Minister, per sexdecim annos, mortuus est & sepultus, vt habet eius epitaphium insculptum marmori sepulchri testudinati & exstructi in dextra parte minoris Ecclesiæ. Maior enim omninò discooperta est, & semidiruta in monte Cœlio. Ea autem sunt epitaphij

taphij verba: *Anno Dominicæ Incarnationis 1197. Pōtificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo, xv. Cal. Ianuarij institutus est nutu Dei ordo sanctißimæ Trinitatis à fratre Ioanne, sub propria regula sibi ab Apostolica sede concessa. Sepultus est idē frater in hoc loco an. Domini 1213. Decemb. 21.*

CAPVT IX.

Catalogus monasteriorum & prouinciarum ord. S. Trinitatis.

PRimum huius ordinis monasterium est Romæ constructum (S. Thomæ de Formis nuncupatū) per Innocentiū III. Papam.

PROVINCIA FRANCIAE.

In prouincia Franciæ sunt monasteria duodecim, videlicet

Monasteriū Cerui Frigidi, in diœcesi Meldensi.

Parisiense, quod Maturinorum vulgò dicitur à S. Maturino, illius loci patrono; estq; fundatum à S. Ludouico Galliæ Rege.

Monasterium Meldense, vulgò *Meaux*.

Monasterium Fontis Bleaudi; Gallicè *Fontainebleau*, fuit fundatum an. 1259. per S. Ludouicum Galliæ Regem. Hoc in loco spectatur insigne palatium Regum Galliæ: quo tempore æstiuo solent diuerti.

Monasterium Claremontanum.

Monasterium de Verberia.

Monasterium de Stampis, inter Parisios & Aurelianum.

Monasterium de Cola.

Monasterium de Mitriaco.
Monasterium de Fayaco.
Monasterium de Ponte Lermerio.
Monasterium de Siluella.

IN PROVINCIA CAMPANIAE, sunt Monasteria vndecim.

Monasterium Trecense in Campania.
Monasterium de Marchia.
Monasterium de Catalano.
Monasterium Gloriæ Dei.
Monasterium de Baraz supra Sequanam.
Monasterium de Vitriaco.
Monasterium Metense in Lotharingia.
Monasterium de Vidua.
Monasterium de Sudeo.
Monasterium Grandi-pratense.
Monasterium de Fera, opido Campaniæ.

IN PROVINCIA PICARDIAE siue Belgij sunt Monasteria XIV.

Monasterium Atrebatense in Artesia fundatum à pijs aliquot viris, procurante Guilielmo Scoto, tertio Magistro generali, qui obijt anno 1222.

Monasterium Hondiscotanum in Flandria, fundatum circa annũ 1220. à Toparchis Hondiscotanis, eodem Guilielmo Scoto procurante.

Monasterium de Vienna.

Mo-

Monasterium de Silua Niepensi seu Nepensi, siue S. Mariæ de pietate. Niepense situm est in Silua Niepensi tertio ferè miliari à Balliolo Flandriæ opido, fundatumque circa an. 1343. vel 1 92.

Monasterium Duacense in Flandria, anno 1253. exstructum per virum nobilem Euerardum à S. Venantio.

Monasterium Andriguiacense vulgò *Andriguiez* fundatum per virum nobilem ex familia Vilainiorum.

Monasterium de Templosio.

Monasterium Lerchiẽse in Artesia fundatum an. 1245. per Ioannem toparcham Lerchiensem.

Monasterium Aureę Vallis apud Niuellã in Brabantia.

Monasterium Lerinense siue de Lerinis apud Gemblacum Brabantiæ oppidum.

Monasterium Stegrense in Flandria, quod & Couuardianum appellatur, fundatum à Balduino Marescallo Balliolano; quem à barbaris monachi S. Trinitatis pretio redemerant.

Monasterium Huiense ad Mosam fl. in diœcesi Leodiensi.

Monasterium Bastoniense in Ducatu Luxemburgensi.

Monasterium de Berieriuado.

IN PROVINCIA NORMANniæ ſunt monaſteria XIV.

Monaſterium de Rieux.
Monaſterium Caſtrobienſe.
Monaſterium de Lexouio.
Monaſterium de Periua.
Monaſterium de Beluario, ſupra mare.
Monaſterium de Mauritania.
Monaſterium de Roboreto.
Monaſterium de Sarſeau.
Monaſterium Turonenſe in honorem S. Saluatoris fundatum in ſuburbano Turonenſi.
Monaſterium de Taliburgo.
Monaſterium de Diuando.
Monaſterium de Pulteria.
Monaſterium de Belleau.
Monaſterium S. Michaelis apud Pontiſaram.

IN PROVINCIA LINGVAE Occitanæ ſunt Monaſteria quatuordecim.

Monaſterium Toloſanum.
Monaſterium Narbonenſe.
Monaſterium Montiſpeſulanum.
Monaſterium Caſtrenſe; & alia.

IN

IN PROVINCIA SEV COMItatu Prouinciæ ſunt monaſteria decem.

Monaſterium Auenionenſe.
Monaſterium Taraſconenſe.
Monaſterium Arelatenſe.
Monaſterium Maſſilienſe, & alia.

IN PROVINCIA Angliæ fuerunt monaſteria ſex.

Monaſterium S. Roberti.
Monaſterium de Morgudes.
Monaſterium de Tellefourd.
Monaſterium Oxonienſe.
Monaſterium de Ycogne, exemptum.
Monaſterium de Hodeſſovve.

IN PROVINCIA Hiberniæ

Vnicus eſt Miniſter de Atobacia, Limbrienſis diœceſis.

IN PROVINCIA SCOTIAE monaſteria ſex.

IN PROVINCIA Aragoniæ Monasteria triginta.

IN PROVINCIA CASTELLAE Veteris Monasteria quindecim.

IN PROVINCIA CASTELLAE Nouæ Monasteria viginti & vnum.

Ita Choppinus lib. 1. Monasticarum Rerum tit. vltimo, art. 12.

CAPVT X.

De Sodalibus ord. S. Trinitatis testimonium Iacobi Vitriaci.

EST alia Regularium fratrum clericorum, & laicorum sancta, & Deo accepta Cōgregatio, in omni loco habitationis suæ, sub titulo S. Trinitatis Domino militantium, vnde & fratres sanctæ Trinitatis appellantur, vni summo huius ordinis Priori per obedientiam humiliter subiecti. Habent autem in diuersis regionibus Priores minores & Congre-

gregationes particulares; caput autem ordinis in Eccleſia S. Trinitatis Maſſilienſis præfecerunt. Hi ſiquidem viri ſancti arctam religionis viam ingreſsi, carnibus non veſcuntur, exceptis diebus Dominicis, & quinque magnis ſolemnitatibus. Vinum verò ſecundùm ordinis inſtituta licet eis bibere, emere autem non licet, camiſijs non vtuntur, neque linteaminibus aut plumis. Humilitatis Chriſti formam expreſsiùs imitantes, aut pedibus ambulant, aut ſuper aſinos equitantes incedunt; alijs autem animalibus ad opus equitandi non vtuntur. Albis autem & laneis tunicis diebus & noctibus induti, cappis albis exteriùs, crucem bipartitam ex rubeo & nigro in medio pectoris affigunt. Et quoniam ad comparationem pietatis exercitatio corporis ad modicum valet, adeò miſericordiæ operibus affluunt, vt de omnibus bonis ſuis ſemper in honorem S. Trinitatis tres partes faciant: vnam partem ad redemptionem captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinenter; aliam ad ſuſtentationem pauperum infirmorum, quos in domibus ſuis miſericorditer recipiunt, in proprijs perſonis humiliter miniſtrantes; tertiam partem ad vſus ſuos reſeruant, vt ſobriam & pauperem vitam vtcumque valeant ſuſtentare. In hac igitur amplitudine charitatis, & affluentia pietatis, velut ſpeculum facti ſunt multis regu-

Ibi olim fortaſſe, nunc alibi, vt ſuprà diximus.

regularibus auaris, & imitationis exemplum meticulosis fratribus & filijs diffidentiæ, qui semper in anxietate & sollicitudine de crastino cogitantes curis huius sæculi prægrauantur, dicentes in cordibus suis: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Modicæ fidei quare dubitasti? Quis vidit iustum derelictum, aut semen eius quærens panem? Qui seipsum tibi tradidit, necessaria tibi negabit? Qui volucres cœli pascit, & lilia agri candidis induit vestimentis, Dominus scilicet, qui sollicitus est tui, si primùm regnum eius & iustitiam quæsieris, hæc omnia non adijciet tibi? Quoniam igitur huiusmodi pusillanimes, & falsi nominis religiosi circa fidem languentes & de diuinis promissionibus hæsitantes, seipsos Domino committere formidant, illic trepidantes timore, vbi timor non est, semper manus habét porrectas ad accipiendum, collectas autem & aduncas ad retinendum, sibimetipsis ieiunãtes, crumenas autem impinguantes, facies suas macie exterminantes, annis singulis quæcunque possunt reseruant, vt nouas emant possessiones, de pauperibus autem non curant. Exercitationes siquidem corporum sibi ad salutem sufficere, pietatem, quæ valet ad omnia, à se & à domibus suis alienantes, proiecerunt, & prorsus exulare coegerunt. Ita Vitriacus Cardinalis & Epis-

Matt. 6. & 14. cap.

piscopus Aconensis, qui anno 1240. floruit.

CAPVT XI.

Ordo sanctæ Mariæ de Mercede & Redemptione captiuorum.

HIc ordo anno 1218. per *Iacobum I.* Aragoniæ Regem, & S. *Raimundum Pennafortium*, monachum, Dominicanum institutus, partim monachos, partim Equites complectitur. Ceterùm vt *Trinitarij* (de quibus suprà diximus) sic & *Mercenarij* ex professo tenentur stipem colligere, eamque captiuis à seruitute Turcica, ac Maurica liberandis impendere; quod & sedulò præstant, ingenti ære quotannis in Africam, Asiam, & Græciam per suos misso.

CAPVT XII.

Ordo Cruciferorum seu Crucigerorum, in Italia, & alibi.

NEc prætereundi sunt Crucigeri, quorum initia bini Pontifices, Alexander tertius & sextus, in quibusdã diplomatibus ad *Cletũ*, Petri

Petri successorem retulere: non quòd tum eam haberent, quam nunc videmus, religionis formam, sed erat cœtus quidam hominum ad recipiẽdos Christianos institutus, inopes prȩsertim, qui peregrè aduenirent: qui cùm deinde & aliorum tyrannorum, & maximè Iuliani apostatæ acerbitate afflictus esset, demum ab Vrbano II. recreatus est, eo tempore cùm Christiani Principes cruce signati, bellum barbaris inferentes, Antiochiam & Hierosolymam feliciter receperunt. Ornatus deinde ab Alexandro III. varijs beneficijs, quòd is Frederici AEnobardi vim fugiens, illorum hospitalibus domibus crebrò ac benignè acceptus fuerat, etiam aduersus Imperatoris edicta minacia. Pius demum II. Papa anno M. C C C C. L X. in Concilio Mantuano, cùm expeditionem in terram sanctam pararet, cæruleam ijs vestem assignauit (incertum qua causa) cùm antea cineritia vterentur. Sic ferè Hieronymus Platus lib. de bono status Religiosi.

Ceterum Crucigeri isti in Italia solent ordinariè Crucem argenteam manu gestare.

Cruciferorum porrò ordinem anno M. C. L X I X. à Gerardo Priore monasterij S. Mariæ Bononiæ institutum, vel potius reformatum, auctore Alexandro III. Papa, qui eius instituti sodalibus viuendi regulam dedit, in Chronico suo ecclesiastico testatur Onufrius Panuinus.

CA-

CAPVT XIII.

Ordo Crucigerorum in Belgio, Germania, & Gallia.

FVit is inchoatus circa annum Christi 1216. à viris quinque admodum pijs, ordinis Ecclesiastici, qui sese *Hugoni* Cardinali, & Apostolico per Germaniam Legato obtulerũt. Ordinem sub regula S. Augustini confirmauit Innocentius IV. anno Pontificatus sui sexto. Totius Congregationis caput, ac Præfectus residet Huij, ad Mosam fl. in diœcesi Leodiensi, vbi Crucigeri pulcherrimum habent cœnobium.

Eiusdẽ Cõgregationis monasteria hodieq; florent, *Leodij*, *Tornaci*, *Aquisgrani*, *Coloniæ*, *Embricæ*, *Dusseldorpij*, *Venlonæ*, *Rurmundæ*, *VVicradij*, *Altinemoris*, *Trapontis*, *Traiecti ad Mosam*, *Maseicæ*, *Dionanti*, *Brugis* in Flãdria, *Siluæ-ducis* in Brabantia, *Parisijs*, *Tolosæ*, & olim *Londini* in Anglia, *Hornæ*, *Schidami*, *Culenburgi*, *Franiqueræ*, & alibi in Batauia, Frisia, viciniśque ditionibus.

CAPVT XIV.

Ordo Crucigerorum in Bohemia.

ORdo Crucigerorum cum *Stella rubea* latè patet per Bohemiam, Morauiam, Silesi-

am, ac Poloniam: cuius quidem supremus ac generalis Magister anno 1618. erat Illustrissimus & Reuerend. D. *Sbigneus Berca.*

Est in Bohemia & altera Cõgregatio Crucigerorum cum *Nauicula*, vt vocant: quòd pro tessera Nauiculam gerant.

CAPVT XV.

Ordo Vallis-Scholarium.

ANNO CIↃ. CC. XVIII. Honorius III. Pont. Max. anno Pontificatus sui tertio, ordinem *Vallis-Scholarium* confirmauit; quem Guilielmus quidam, natione Anglus, inchoauit, qui Parisijs scholaris fuerat, & postea in Burgundia scholis præfuerat, tandemque cum scholaribus suis ad eremum conuolauit, & formam viuendi suis, & sibi ex diuersis regulis elegit. Sic Martinus Polonus in Chronico. Genebrardus in sua Chronologia paulò distinctiùs dicit hunc ordinem, sub regula D. Augustini, sumpsisse originem in Campania Gallica, per *Guilielmum, Richardum, Euerardum* & *Manassem,* Theologiæ Professores. Huius ordinis monasteria Belgica sunt, *Mechlmiense, Montense* in Hannonia, *Leuuense* in Brabantia, & *Geronsaitum* in Comitatu Namurcensi. Solent olim non nisi à Prioribus gubernari: nostra ætate Montensi, Namurcẽsi & Leo-

& Leodiensi monasterijs præfecti sunt Abbates.

CAPVT XVI.

Ordo Seruorum B. Mariæ, anno 1233. in Italia inchoatus, per VII. ciues Florentinos, & mirificè auctus per S Philippum Benitium.

HVnc ordinem instituerunt septem ciues Florentini.

B. Bonfilius, ex clara Monaldorum familia,
B. Bonaiuncta, ex Manettis,
B. Manettus, ex familia Antella,
B. Vgucio, ex Vgucionia familia,
B. Alexius Falconerius,
B. Sosthenius, ex Melioribus, &
B. Amideus, ex Amidea familia.

Atque hi quidem septem ciues Florentini, cùm in antiquo B.V. Mariæ sodalitio, Valdensium cognomento, ad Assumptionis eiusdem B. Virginis festum celebrandum de more conuenissent, dum sacra aguntur mysteria, ita se interiùs rapi, & sanctissimæ Dei Genetrici famulandi desiderio incendi sentiunt, vt Missâ peractâ, quisque socijs immissam inspirationem patefaceret, omnesq; mundo valedicere, & cæterarum rerum curâ abiectâ, eidē sanctissimæ Virgini inseruire decernerēt.

Interim donec constitutum tempus adueniat, ieiunijs & orationibus dediti, vt an ex Deo hęc esset inspiratio, probarent; terrenarum rerum, maximè domesticarum, curis sese expediunt: ac in ipsius Virginis Mariæ Natiuitatis festo, vt constituerant, *Ardingo* priùs Episcopo Florentino consulto, sacraq; post exactam peccatorum confessionem, Eucharistia refecti, vestitu, quo ciues eius tempore vtebantur, deposito, vilem humilemque induunt, atque ex oratorio ad salutandum Episcopum bini, vt mos religiosis est, incedunt, tota penè vrbe ad rei nouitatem concurrente, puerisque eos Dei Genitricis seruos vbique acclamantibus. Quod nomen illis per vrbem ad eleemosynas exeuntibus, etiam ab infantium & lactentium ore prolatum (matribus enim necdum scientes loqui dicebant, vt seruis Mariæ Virginis benefacerent) ab Episcopo eis inditum est: atque à summo Pontifice confirmatum. *Bonfilio* autem tamquam seniori (qui primus Ordinis Generalis fuit) sibi præfecto, in montis Senarij, à Florentia nouem millibus passuum distantis, solitudinem secedunt. cumq; eos, qui se ad eorum societatem in dies adiungebant, ægrè reciperent, inusitato prodigio ad eam augendam inflammantur. Cùm enim verno tempore vitem in hortulo plantassent, ea in ipso Annunciationis B. Mariæ festo palmites vndique emisisse, floruisseque, & vuam (quod mirabilius fuit) pro-

B. Bonfilius I. Generalis.

procreasse visa est. Sacratissima quoque Deipara noctu multis Angelis comitata, nigra indumenta, quibus in filij passionis, suæque viduitatis memoriam induerentur, ostendens, illis apparuit: & *Ardingo* Episcopo per quietem præcepit, vt seruos suos nigra veste contegeret, & regulam quam seruarent præscriberet. Qui summo mane consurgens, montẽ conscendit, Missam celebrat, eosque sacra cõmunione refectos nigris vestibus, à se benedictis, induit, ac *S. Augustini* regulam obseruandam illis præscripsit. Bonfilius itaque cùm iam inchoatæ religionis propagandæ licentiam à legatis Pontificijs impetrasset, cumque sanctitatis vitæ fama peruagante plura indies in Hetruria, Germania, & alijs locis monasteria exstruerentur, *Innocentio IV.* Pontifici Maximo Auenione (vbi sedes erat Pontificum) proficiscenti, Bononiæ occurrit: à quo benignè exceptus, ordinis approbationem, eiusdemque primum protectorem *Guilielmum* Diaconum Cardinalem, Pontificis nepotem, obtinuit. Idem Bonfilius templi Deiparę Virginis Annunciatæ celeberrimi constructionem, Bonfilio Episcopo Senensi pro Legato primum in fundamentum lapidem mittente, aggressus est. Is etiam *B. Philippum Benitium* in ordinem recepit & erudiuit. Denique assiduis vigilijs, carnis macerationibus, laboribus diutinaque infirmitate confectus, anno à Partu Virginis *1261.* inchoatæ verò religio-

nis 26. anno non ſine prodigijs migrauit è vita. Nam poſt matutinas horas, quibus etiam infirma valetudine intereſſe cõſueuerat, vox ſanctum ſenem ad ſe vocantis audita eſt: ad quam fratres accurrentes, exanimem illum, ſplendorem vultu proferentem, & odorem ſuauem corpore emittentem inuenere: moxque dum illi iuſta perſoluere parant, voces cœleſtes canentium, *Subuenite Sancti Dei*, exauditæ ſunt. Ita tradit Philippus Ferrarius, ordinis eiuſdem Doctor Theologus, in Catalogo Sanctorum Italiæ.

B. Bonaiuncta. B. Bonfinio nondum ex humanis ſubtracto B. *Bonaiuncta* in regimine ſucceſſit: & poſt biennij præfecturam in Monte Senario anno 1258. pijſſimè obdormiuit.

B. Manettus. B. *Manettus*, ſui ordinis Præfectus Generalis poſt Iacobũ Senenſem, à Clemente IV. conſtitutus, anno 1269. in Domino ſanctiſſimè obdormiuit. Cui Florentiæ in Diuæ Virginis Annunciatæ templo inſigne ſacellum ex marmore fuit excitatum, vitæ & miraculorum eiuſdem hiſtoria vtrimque depicta.

B. Amideus. B. *Amideus*, miraculis pariter clarus an. 1264 obijt.

B. Vgucio. B. Sosthenius. B. *Vgucio* ex Gallia, & B. *Soſthenius* ex Germania (vbi ordinem iſtum fundauerant) redeuntes in Monte Senario an. 1282. pijſſimè obdormierunt: quorum animas S. Philippus Beni-

Benitius per quietem in cœlum deferri vidit.

B. *Alexius*, cùm ad annum ætatis centesimum decimum peruenisset, anno 1310. beatam animam exhalauit. Horum corpora sub ara maiore templi Montis Senarij, septem columnis fulcita quiescunt. In quo monte viuunt hodieque quadraginta Eremitæ, cœnobio Diuæ Virg. Annunciatæ Florentino subiecti: vt idem Ferrarius tradit libro citato. *B. Alexius.*

CAPVT XVII.

De sancto Philippo Benitio, V. Priore Generali ordinis Seruorum B. Mariæ.

PHilippus Florentiæ ex nobili Benitiorum familia ortus, Lutetiæ Parisiorum medicinæ adolescens operam dedit. Reuersus in patriam, cùm Ecclesiam Seruorum (quæ Deiparæ Annunciatæ nominatur) ob singularem erga Deiparam deuotionem frequens visitaret, qua die ea verba ex Actibus Apostolorum, *Philippe accede, & adiunge te ad currum istum*, legebantur, actus in extasim, currum aureum, quem ouis & leo trahebant, & in eo sanctissimam Matrem, comitantibus Angelis, insidentem, nigraque *Act. c.8.*

ſibi indumenta porrigentem vidit. ſequenti nocte ab eadem Dei Genitrice ſeruos ſuos adire iubetur. Quare ſummo mane conſurgens *Bonfilium*, vnum ex ſeptem Ordinis fundatoribus, illius cœnobij Priorem adit, oratque vt inter Côuerſos recipiatur. Receptus vitam aliquamdiu in Monte Senario ſolitariam duxit: vbi ſpelunca, in quam pœnitentiæ cauſſa ingredi, & vim lacrymarum profundere ſolitus erat, nomen ipſius retinens, & aquam emittens, adhuc viſitur. Elucebant in eo, præter cæteras virtutes, mira patientia & inſignis humilitas. Factus Sacerdos, paulò pòſt in Capitulo Florentiæ celebrato, Prior Generalis, quinto loco, licèt inuitus, eligitur. Quod munus ab eo ſæpius, ſed fruſtrà renunciatum, 18. annos tanta prudentia adminiſtrauit, vt non modò in Italia, ſed & in Germania, & alibi ordinem Seruorum, multis exſtructis monaſterijs, mirificè propagarit. Tanta fuit in eo humilitas, vt non niſi poſt 7. annos, quòd Generalis eſſet, à ſuis agnitus fuerit. Diſſidentium paci & errantium ſtuduit emẽdationi. Nam Piſtorij Guelphorum & Gibellinorum factiones per ſe ipſum, Florentiæ vnà cum fratre Latino Cardinale, Ord. Prædicatorum, Legato, Seruorumque Protectore ſedauit. Foroliuienſes, quòd à Martino IV. Pontifice Maximo defeciſſent, inter concionandum reprehendit: à qui-

quibus verberibus affectus, peregrinum vnum ex percussoribus conuertit; qui eumdem ordinem ingressus, vitæ sanctitate floruit. Visitando & prædicando Embdam vsque Frisiæ orientalis metropolim peruenit, multis ab hæresi, & alijs vitijs per ciuitates ad Deum conuersis. Plura viuens edidit miracula. Nam apud Camillanum agri Senensis vicum, ad curiã pergens, leproso nudo eleemosynam petenti propriam vestem concessit; qua ille indutus statim à lepra conualuit. Quo miraculo peruulgato, dum Viterbij Cardinales, Clemente IV. Pontifice Maximo vita functo, de successore eligendo dissiderent, nonnullis Philippum proponentibus, ille re cognita clàm inde recedens (quod maximæ humilitatis argumentum fuit) apud Montem Tuniatum delituit, vbi balneis, quæ vsque in hodiernum diem S. Philippi nominantur, virtutem sanandi morbos impetrauit. Arreti cùm fratres ob maximam victus penuriam fame conficerentur, pius accurrens pater, eos blandè consolatus, dum ad imaginem sanctissimæ Virginis orat, ecce duos cophinos candidissimorum panum plenos ad ianuam monasterij diuinitus delatos Cùm in Germaniam Euangelium prædicaturus, *Rudolphi* Imperatoris inuitatu, proficisceretur, apud

Lauinum amnem, inter Bononiam & Mutinam, sub arboris vmbra sole ardentissimo diuersatus, nonnullis blasphemantibus diuinam vltionem prædixit, quæ illos statim, vt ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de cœlo, in morem turbinis descendens, arborem cũ illis prorsus absumpsit. Ex Germania rediens, ingressus nemus inextricabile, cùm socij inedia triduo afflicti non possent vlteriùs progredi, Philipp⁹ facta oratione voces quasdam secutus, nemine tamen viso, panem & aquam, quibus recrearentur, inuenit. Demum Tudertum veniens, meretricibus, quæ sibi in via illudere ausæ fuerant, sic persuasit, vt in monasterio apud Carsulam (quæ vrbs nunc iacet) inclusæ, perpetuò pęnitentiam egerint. In vrbis ingressu totam ciuitatem sibi tanquam patri obuiam habuit: Ecclesiam ingressus, & ad altare B. Virginis orans, cùm quasi diuinans ea verba, *Hæc requies mea*, pronũciasset, paulò pòst in festo Assumptionis B. Virginis in morbũ incidit, ex quo octauo die fratres ad obseruantiam regularem hortatus, sacrisque munitus, XI. Kal. Septembris anno salutis 1285. migrauit ad Christum. Eius sanctitas multis miraculis declarata est. In ijs, mulier manibus, pedibusque contracta, vt sacrum corpus attigit, statim incolumis domum remeauit. Cæcus ad tumulum illius delatus, illico visum recepit. Puer in agro Tudertino à lupo stran-

ſtrangulatus, eius meritis ad vitam reuocatus eſt. Mulier, quæ & miracula negare, & ſeruum Dei irridere præſumpſerat, mox effecta eſt muta: quę reſipiſcẽs, & ad illius pedes proſtrata, veniamq́ue precata, priſtinam loquendi facultatem recuperauit. Viduæ filius vnicus, ex diutino morbo defunctus, dum mater gemebunda opem Philippi implorat, rediuiuus ſurgens, Philippum ſibi ſuccurrentem vidiſſe teſtatus eſt, ſtupentibus, qui, vt matrem ſolarentur, aduenerant. Quare Leo X. Pontifex Maximus, cognita viri ſanctitate, cùm illum grauiſſimis curis impeditus nõ potuiſſet in Sanctorum numerum referre, fratribus ſui Ordinis, vt de illo Officium duplex X. Kal. Septemb. recitarent, conceſſit.

Ita Ferrarius lib. citato, ex Archangelo Ianio, qui S. Philippi vitam libris quinque deſcripſit.

Colitur autem officio Eccleſiaſtico *S. Philippus Benitius* in Tuſcia, ex indulto Pauli V. Papæ. *23. Aug.*

C A-

CAPVT XVIII.

De S. Gerardo Veneto, Episcopo Canadiensi, & Martyre.

S. Gerardus, Venetijs ex nobili Sagreda familia natus, primùm basilicæ S. Marci Canonicus fuit, & vt apud S. Antonium Paduanum in Sermonibus legitur, primus ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis Venetijs institutor. Deinde factus Episcopus Canadiensis in Hungaria (est autem Canadium vrbs apud Transyluaniæ confinia, ad Lippam amnem non longè à Segedino in Tibiscum influentem) Transdanubiana Apostolus fuit: qui cùm ad S. Stephanum Regem visendum Albam Regalem pergeret, ab idololatris in itinere inuasus, pro Christi nomine mortem patienter sustinuit. Cuius corpus Venetias translatum, Murani in Ecclesia B. Mariæ Virginis, quæ modò S. Donati nominatur, conditum est. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui in Notis addit, non tantũ à S. Antonio Paduano, in Sermon. sed etiam à Francisco Maurolyco in Martyrologio tradi, S. Gerardum fuisse primum auctorem ordinis Seruorum B. Mariæ apud Venetos.

CA-

CAPVT XIX.

Ordo Seruorum B. Mariæ, in Gallia anno 1257. institutus, & abrogatus in Synodo Lugdunensi, sub Gregorio X.

ORDO Seruorū B. Mariæ, in diœcesi Massiliensi institutus, & sub regula S. Augustini anno 1257. est confirmatus per Benedictum Episcopum Massiliensem, mandante Alexandro IV. Papa. Fuit is Ordo alius ab eo, quem in Etruria Italiæ prouincia per B. Bonfilium, & alios sex ciues Florentinos excitatum, suprà cap. 16. diximus. Nam Seruitæ Itali vestem nigram iam inde ab initio ordinis gestant: Seruitæ verò Galli vestem seu chlamydem albam olim gestare solent. Hinc Monasterium Guilielmitarum Parisiensium, quod olim fuit ordinis Gallicani Seruitarum (vt infrà docebimus) hodieque *Alborum Mantellorum* nomen retinet.

Vt autem constet omnibus, vbi & quando Seruitæ Gallicani originem sumpserint, habe istud Clementis IV. diploma:

Clemens Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Priori, & fratribus B. Mariæ de Areno, seruis B. Mariæ matris Christi vulgariter appellatis, ordinis S. Augustini, Massiliensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur,

petitur, quod iustum est & honestum, tàm vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectũ. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd cùm felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster dudum venerabili fratri nostro Massiliensi Episcopo suis dedisset litteris in mãdatis, vt vobis, qui eratis nouella plantatio, nec tũc astricti obseruantiæ alicui regulari, auctoritate ipsius prædecessoris concederet aliquem de ordinibus approbatis, idẽ Episcopus ordinẽ B. Augustini cõcessit vobis, prout in literis inde confectis, sigillatis sigillo ipsius Episcopi, plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod à Prædicto Episcopo super hoc prouidè factũ est, ratũ & firmũ habentes, id ad instar eiusdem prædecessoris nostri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, tenorem litterarum ipsarum ipsius Episcopi de verbo ad verbũ præsentibus inseri facientes, qui talis est:

Vniuersis, ad quos præsentes litteræ peruenerint, Benedictus Dei gratia Massiliensis Episcopus salutem in Domino Iesu Christo. Literas Domini Papæ recepimus sub hac forma:

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Episcopo Massiliensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Pijs propositis, & honestis desiderijs, & his præcipuè, per quæ salus & profectus prouenit animarum, annuere Sedis Apostolicæ benignitas tantò libentiùs consueuit, quantò ipsarũ lucrũ est omni thesauro fructuosius & pretiosius re-

qua-

quacumq; . Cùm igitur dilecti filij Prior & fratres B. Mariæ de Areno, Maßiliensis diœcesis, qui vulgariter nuncupantur Serui Sanctæ Mariæ Matris Christi, sicut nobis significare curarunt, huius mundi vanitatibus, pompa & gloria derelictis, sub iugo regularis obedientiæ suo desiderent obsequi Creatori: nos ipsorum huiusmodi propositum, & desiderium multipliciter commendantes, ac annuentes, fauorabiliter ipsorum precibus pietate non vacuis, & continentibus honestatem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mādamus, quatenus dictis Priori & fratribus auctoritate nostra concedas vnā de regulis approbatis, vt sub ipsius obseruantia perpetuis temporibus dignum præstent obsequium, suorum vitulos offerant labiorum, & acceptabile impendant sacrificium Deo Patri. Datum Viterbij VI. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

Huius igitur auctoritate mandati, ad honorem Dei omnipotentis, & gloriosæ Virginis Mariæ matris Christi, Priori, & fratribus B. Mariæ de Areno, Maßiliensis diœcesis, qui vulgariter nuncupantur Serui sanctæ Mariæ matris Christi, auctoritate Apostolica concedimus regulam B. Augustini, vt sub ipsius obseruantia perpetuis temporibus dignū præstent obsequiū Deo Patri. In cuius rei memoriā præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum pridie Nonas Ianuarij, anno Domini millesimo ducētesimo quinquagèsimo septimo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā confirmationis infringere, vel ei ausu temerario cōtraire.

Si

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbij III. Idus Maij, Pontificatus nostri anno secundo.

Hoc diploma Clementis IV. cũ alijs adiũctis, primus publicauit Sampson Haius lib. de veritate vitæ, & ordinis S. Guilielmi, Parisijs anno 1588. edito.

Ceterùm huius ordinis Seruitæ olim Parisijs monasterium habuerunt anno 1258. ædificatum: quod postea, Ordine isto, in Synodo Lugdunensi sub Gregorio X. Papa abrogato, traditum est Guilielmitis, anno 1297. à Bonifacio VIII. & Philippo Pulchro Rege, atque id etiamnum posſident.

CAPVT XX.

Ordo Eremitarum S. Pauli.

PAVLVS Eremitarum auctor, & magister, apud inferiorem Thebaidem natus, cùm quindecim esset annorum, orbatus parentibus est: qui postea declinandæ caussa persecutionis Decij & Valeriani, & Deo liberius inseruiendi, in eremi speluncam se contulit: vbi palma ei victum & vestitum præbente, vixit ad centesimum & decimum tertium annum; quo tempore ab Antonio nonagenario, Dei admonitu, inuisitur. Quibus inter se, cùm

cùm antea non nosſent, proprio nomine cōſalutantibus, & multa de regno Dei colloquentibus, coruus, qui ſemper antea Paulo dimidiatum panem attulerat, integrum detulit.

Poſt corui diſceſſum, *Eia,* inquit Paulus, *Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors. Sexaginta iam anni ſunt, cùm accipio quotidie dimidij panis fragmentū, nunc ad aduentū tuum militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam.* Quare cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum, vbi tātiſper recreati ſunt, iterum gratijs de more Deo actis, noctem in diuinis laudibus conſumpſerunt. Diluculo Paulus de morte, quæ ſibi inſtaret, admonens Antonium, hortatur, vt pallium, quod ab Athanaſio acceperat, ad inuoluēdum ſuum corpus afferret. Quo ex itinere rediens ille, vidit inter Angelorum choros, inter Prophetarum, & Apoſtolorum cœtus, Pauli animam in cœlum aſcendere.

Cumque ad eius cellam perueniſſet, inuenit genibus complicatis, erecta ceruice, extēſiſque in altum manibus, corpus exanime, quod pallio obuoluens, hymnoſque & Pſalmos ex Chriſtiana traditione decantans, cùm ſarculum, quo terram foderet, non haberet, duo Leones, ex interiore eremo, rapido curſu ad Beati ſenis corpus feruntur: vt facilè intelligeretur, eos quo modo poterant, ploratum edere: qui certatim terram pedibus effodientes, foueam, quæ hominem commodè

caperet, effecerunt. Qui cùm abijssent, Antonius sanctum corpus in eum locum intulit: & iniecta humo, tumulum Christiano ex more composuit; tunicam verò Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ folijs ille sibi contexuerat, secum auferens, eo vestitu diebus solennibus Paschæ, & Pentecostes, quoad vixit, vsus est.

Ceterùm ordo Monachorum sancti Pauli celeberrimus, & ditissimus in Hungaria, vicinisque Prouincijs, per Eusebium Strigoniensem circa annũ 1215. in Hungaria, & postea à Paulo Vespriniensi Episcopo anno 1263. auctus, & Constitutionibus quibusdam stabilitus.

Est & Congregatio Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ, anno 1553. inchoata, quæ multa habet monasteria in Hispania, & Italia.

CAPVT XXI.

Ordo Iesuatorum per S. Ioannem Columbinum Senensem inchoatus.

ANNO 1355. aut sequenti in vrbe Senensi inchoatus est is ordo, qui Iesuatorum dicitur, principe Ioanne Columbino, cuius mirabilis conuersio facta est per lectionem

nem vitæ S. Mariæ AEgyptiacæ, in quam casu inciderat. Itaque cùm totus repentè immutatus, ſanctiſſimam vitam, boniſque omnibus operibus, & maximè ſui contemptu & abnegatione exercitatam aliquamdiu duxiſſet, aliquot ei adiuncti ſunt eiuſdem vitæ ſocij, quos omnes Vrbanus V. ex Gallia reuertens, quaſi nouam teneramque Chriſti Domini ſobolem, benigniſſimè complexus eſt, multiſque auxit priuilegijs.

Obijt S. Ioannes Colũbinus Senis in patria anno 1367. vbi ſacrum eius corpus quieſcit in ſui ordinis baſilica. De eo fuſiùs agit Syluanus Ratius Camaldulenſis, lib. de Sanctis Etruriæ. Adſcriptus eſt Martyrologio Rom. 31. Iulij.

Ceterùm hic ordo aliàs dicitur Clericorũ Apoſtolicorum, ſeu S. Hieronymi Ieſuatorum. De quo haud abs re fuerit adiungere Relationem cuiuſdam Scriptoris paulò ampliorem.

Cõgregationis S. Hieronymi Ieſuatorũ auctor fuit *B. Ioannes Columbinus*, nobilis Senẽſis, & an. Dominicæ Incarnationis milleſimo tre- 1355.
centeſimo quinquageſimo quinto iuxta illius Annales, exordium ſumpſit, & per Vrbanũ V. 1367.
an. Domini milleſimo trecẽteſimo ſexageſimo ſeptimo eſt approbata. Quæ quidẽ S. Hieronymi cõgregatio ſeu ordo appellatur, quia illi⁹ profeſſores nõ multũ poſt eiuſdẽ ordinis inſtitutionẽ vnanimi cõſenſu & volũtate sã-

ctum illum Doctorem sibi patronum & protectorem delegerunt; ita vt eorum domus, & Ecclesiæ magna ex parte sancto Hieronymo sint dedicatæ. Quod quidem nomen ab eodem sancto Doctore ductum, vt perpetuum haberent, Alexander VI. anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo ad Pontificatus apicem assumptus decreuit, vt in posterum non simpliciter Iesuati, sed cum adiuncto, *Fratres Iesuati sancti Hieronymi* dicerentur. Hi tunicam albam & cappam cinericei coloris absque capucio gestant: cuius loco cùm domo egrediuntur, in capite deferunt genus quoddam albi tegumenti, manicæ similis, quod mundi contemptum demonstrat. Trium votorum professionem completo probationis anno, aliorum religiosorum ex instituto sancti Augustini viuentium more emittunt; Constitutiones peculiares cuiusdam Episcopi Ferrariensis, qui inter illos professus fuerat, vitæ sanctitate celeberrimi, præscriptas habent. Literarum studijs ex professo non incumbunt, nec sacris absque speciali dispensatione Apostolica initiantur, habentque Confessarios, & Capellanos aut presbyteros seculares, aut aliorum ordinum regulares: & si quis doctrina præditus ipsorum consortio aggregetur, Superiorum permissu aliquid temporis literarum exercitio tribuere potest. Qui verò huiusmodi sodalita-

litatem ingressus, & ex concessu Sedis Apostolicæ sacerdotali charactere insignitus fuerit, ad ordinis officia ægrè promouetur. Pergunt circa mediam noctem ad Chorum, in quo tamen nunquam canunt, sed pro matutinis, & alijs horis canonicis, alias precationes, ac spirituales meditationes quisque per se habet. Exercentur circa infirmorum visitationem, & diuersa alia officia, atque opera manualia ad vitandum otium: qualia sunt hortorum, quos habent amplos, & bene dispositos, cultura, aquarum ex herbis, floribus alijsque rebus varia distillatio & expressio, fenestrarum vitrearum reparatio, nec non alia similia artis & corporis exercitia quàm plurima, quibus etiam suis necessitatibus subueniunt. Reguntur omnes à suo Generali, & singula monasteria à Prioribus gubernantur.

CAPVT XXII.

Ordo Eremitarum S. Hieronymi, & alter ordo seu Congregatio Fesulana Mendicantium S. Hieronymi.

ORDO Eremitarum sancti Hieronymi an. 1380. à B. *Petro Gambacurta* Pisano institutus,

tutus, in Italia potissimùm floret. Habet Romæ Conuentum ad S. Onuphrium, in Transtiberina regione.

Congregatio Fesulana fratrum Mendicātium S. Hieronymi instituta fuit an. 1386. à B. *Carolo*, filio Antonij Comitis Montis Grauelli, diœcesis Sarsinensis. Illam anno 1405. Innocentius VII. & postea Gregorius XII. itemq; Eugenius IV. an 1441. approbarunt.

Obijt autem B. Carolus an. 1410. in basilica S. Mariæ Gratiarum sepultus.

Socios habuit *Redonem à Monte Grauello*, & *Gualterum Marsum*, cum quibus primam domum eremiticam construxit in ruinis vrbis Fesulanæ, haud procul à Florentia.

CAPVT XXIII.

Ordo sanctæ Brigittæ, seu S. Saluatoris, per S. Brigittam institutus.

SAncta Brigitta fuit ex Sueuis oriunda, Daniæ Regis filia, Neritiæ Princeps. Octo liberos habuisse dicitur, mares quatuor, & feminas totidem. Marito vita functo, cum filia Catharina Ierosolymas profecta est; reuersaque Romam scripsit Gregorio Pontifici, qui in Gallia sedē habebat, Dei voluntatem esse, vt Romam rediret. Sederant

autem

autem Auenione Pontifices ordine ſeptem, Gallici omnes ſanguinis; quorum primus *Clemens* eo nomine V. natione Vaſco, Epiſcopus antè Burdegalenſis, qui Roma ſedem, Cardinales, & Curiam tranſtulit; emitque eam vrbem à Ioanna Siciliæ & Neapolis Regina, ſibi & poſteris Pontificibus, tricies mille florenis aureis. Item ſecuti ſunt *Ioannes* XXII. Caduccus, *Benedictus* XII. Toloſanus, *Clemens* VI. Lemouix, *Innocentius* VI. Lemouix, *Vrbanus* V. Lemouix, & *Gregorius* XI. Lemouix, qui ſedem ex Gallia Romam tranſtulit, anno M CCC. LXXVI. ſeptuageſimo quarto poſtquam Auenione fuiſſet, magno Italiæ & præſertim vrbis Romæ damno. Pontificum enim abſentiam ſtatim ſecutæ ſunt vrbium defectiones, nouorum Principum lectiones, Venetorum cum Ferrarienſibus bella, Hetruriæ concuſſio, Galliæ Ciſalpinæ motus, Henrici Cæſaris in Italiam irruptio, Pontificum nouæ lectiones, & inde ſchiſma, Neapolitani regni turbæ, Romæ ob libertatem tumultus, Venetorum & Genuenſium mutuæ clades, totius Italiæ turbatio, Vicecomitum ſtrages, Cypri vaſtatio Genuenſium auſpicijs, Famaguſtæ deditio, Perini Regis de ſalute pactio & tributum, Pretẽſis vrbis inuaſio, populorũ ab Eccleſia ſeceſſio, Britonum Siſennæ clades, miſerãda Siſennatũ cædes, Romæ deniq; frequẽtes mœniũ,

templorum, ædium ruinæ, solitudo, barbaries. Quæ maximè res & Brigittam ad monendum impulit, & Gregorium ad parendum. Accessit insuper liberum Episcopi cuiusdam responsum, qui cùm à Pontifice rogaretur, quid causæ esset, quò minùs ad suam se Ecclesiam reciperet: *Et quid, inquit, causæ est, cùr tu, ô Pontifex, non ad tuam?* Satis apertè Romam innuens. Itaque rediјt ille, vt dixi, Romam: siue sanctæ Brigittæ monitu, siue aperto Episcopi responso, siuè demum suopte consilio, cùm tot Italia calamitates, & ipsius Reginæ quondam vrbium Romæ, fando audiret, animo cerneret. Sed non ideò præreptæ occasiones schismatum in Ecclesia, & turbarum in Italia: quorum illa paulò pòst ita Ecclesiam occuparunt, vt eodem tempore tres simul Pontifices Europa viderit: quæ tempestas aliquamdiu Ecclesiam, & omnes penè Europæ prouincias vehementer conquassauit, sæuientibus vndique odijs, & in mutua excidia hominum furore comparato: Hæ verò in multos postea annos perdurarunt, ingenti totius Italiæ clade. Neque tantùm collyria potuêre, vt non subinde quæ malè coierant vulnera, fœdiùs eruperint, & sæuiùs in vicina membra malum contagio propagârit. Tandem verò prædicta Brigitta post multas reuelationes & vaticinia, quæ

in

in volumen, quod exſtat, ipſa retulit, Romæ decedens, ad ſuperos abijt: vbi immortalitate gloriæ fruitur, vt hic nominis & ſancti per orbem inſtituti.

Ceterùm in monaſterijs ordinis ſanctę Brigittæ non ſolùm moniales, ſed & monachi ſolent viuere, ſed muris ac cancellis à ſe inuicem diuiſi. Cœnobij tamen totius adminiſtratio non ad monachos, ſed ad Abbatiſſam de more ſpectare ſolet: fortè ob reuerentiam, quæ debita eſt ſanctæ Brigittæ, ordinis auctori, ex regia Danorum ſeu Suecorum proſapia genitæ. In cuius rei ſymbolum moniales in hũc vſque diem aureum in digito annulum geſtant, & ornantur in capite corona cādida, purpureis diſtincta notis: in fronte, occipitio, temporibus & vertice, mutatis regiæ thiaræ lapillis, in quinque Chriſti Regum Regis vulnera. Sic ferè Dauid Lindanus in Teneramundę deſcriptione lib. 2. cap. 5.

Obijt autem in Domino ſancta Brigitta, aliàs Birgitta anno 1373. à Bonifacio IX. Diuis adſcripta.

CAPVT XXIV.

Catalogus monasteriorum ordinis S. Brigittæ.

WAstenense monasterium in Suecia, & diœcesi Lincopensi, fundatum à B. Catharina, S. Brigittæ filia.

Vallis gratiæ in Flandria.

Monasterium quoddam in Liuonia circa Reualiam.

Dantiscanum monasterium in Prussia.

Erilingense monasterium in Prussia.

Mariæ corona circa Stralasiium.

Marię vulnus, prope Lubecam.

Mariæ silua, in Dacia siue Dania.

Mariæ Ager, in noua Zuytlādia, apud Zelandos.

Muncoliuiense monasterium, in Noruegia.

Mons gratiæ, prope Norimbergam.

D. Haffonis monasterium in Bauaria.

Genuense monasterium in Italia, in vrbe Genuensi, monialium.

Paradisus, extra Florentiam, quartó lapide à Florentia, vbi adseruatur digitus S. Brigittæ.

Sion, in Anglia.

Aqua B. Mariæ, olim extra, nunc intra Siluā-Ducis, Brabantiæ opidum.

Cam-

Campus B. Mariç, in opido Campensi, apud Transisalanos.

Mariæburgũ, in pago *Zoest* apud Amersfordiam ditionis Vltraiectinæ opidum.

Stella B. Mariæ, Gaudç in Hollandia.

Teneramundanum monasterium.

Coloniense monasterium.

Mariæ Vorst, tertio lapide à Colonia, vtriusque sexus.

Mariæ arbor, in Cliuia, vulgò *Marienboom*, primo lapide à Sanctis, vtriusque sexus.

Mariæ vitis Vltraiecti, in Batauia.

Sion, in Mishaga prope Antuerpiam, desijt.

Brielense monasterium in Hollandia.

S. Brigittç hospitale in vrbe Roma.

Atrebatense in Antesia.

Insulense in Flandria: quæ duo posteriora, Alberto Austriaco apud Belgas imperante, sunt instituta.

Est autem VVastena, castellum Sueciæ, in quo anno 1580. adhuc florebat monasterium ordinis S. Brigittæ, & caput eiusdem virginis religiosè adseruabatur: vt ex oculato teste Francisco Haræo, Vltraiectino, viro libris editis claro didici, qui id tẽporis in Suecia cum Antonio Posseuino Soc. Iesu Theologo versabatur.

CAPVT XXV.

Ordo Monachorum S. Hieronymi in Hispania, à Petro Fernando institutus, circa an. 1374.

HIeronymus, Eusebij filius, Stridone in Dalmatia, Constantino Imperatore, natus, Romæ adolescens est baptizatus & in liberalibus disciplinis à Donato, & alijs viris doctissimis eruditus. Tũ discendi studio Galliam peragrauit: vbi pios aliquot, & in diuinis litteris eruditos viros coluit, multosque sacros libros sua manu descripsit. Mox se in Græciam conferens, Philosophia & eloquẽtia instructus, summorum Theologorum cõsuetudine floruit: in primis verò *Gregorio Nazianzeno* Constantinopoli operam dedit: quo doctore se sacras litteras didicisse profiterur. Tum religionis causà visit Christi Domini incunabula, totamque lustrauit Palæstinam: quam peregrinationem adhibitis Hebræorũ eruditissimis, ad sacræ scripturæ intelligentiam sibi multum profuisse testatur.

Deinde secessit in vastam Syriæ solitudinem: vbi quadriennium in lectione diuinorum librorum, cælestisque beatitudinis contemplatione consumpsit, assidua se abstinẽtia, vi lachrymarum, & corporis afflictatione discrucians. Presbyter à Paulino Episcopo Antio-

Antiochiæ factus, Romam de controuersijs quorumdam Episcoporum, cum Paulino, & Epiphanio, ad Damasum Pontificem profectus, eius Ecclesiasticis epistolis scribendis adiutor fuit. Verùm cùm pristinæ solitudinis desiderio teneretur, in Palæstinam reuersus, Bethleem ad Christi Domini præsepe in monasterio, quod à Paula Romana extructũ erat cælestem quamdam vitæ rationem instituit: & quamquam variè morbis, doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda pijs laboribus, & perpetua lectione, ac scriptione superabat.

Tamquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum diuinæ scripturæ quæstiones explicandæ referebantur. Illũ *Damasus* Pontifex, illum S. *Augustinus* de locis scripturæ difficillimis sæpe cõsuluit, propter eius singularem doctrinam, & linguæ non solùm Latinæ & Græcæ, sed Hebraicæ etiam & Chaldaicæ intelligentiam: & quòd omnes penè scriptores, eiusdem Augustini testimonio, legerat. Hęreticos acerrimis scriptis exagitauit: piorum & Catholicorum patrocinium semper suscepit. Vetus testamentum ex Hebræo conuertit, nouum, iussu Damasi, Græcæ fidei reddidit, magna etiam ex parte explicauit. Multa præterea Latinè reddidit scripta doctorum virorum: & ipse alijs proprij ingenij monumentis Christianam disciplinam eximiè illustrauit. Qui ad summam senectutẽ peruc-

peruenieris, sanctitate & doctrina illustris, Honorio Imperatore migrauit in cœlum. Cuius corpus ad Bethleem sepultum, postea Romam in Basilicam S. Mariæ ad præsepe translatum est.

Ceterùm ordo monachorum sancti Hieronymi in Hispania longè est florentissimus; quem, vt dixi, *Petrus Fernandus*, cum socio *Petro Romano* instituit. Fernandus quidem in aula Petri Castellæ Regis diu vixerat, quâ relictâ, circa annum 1366. Eremitis quibusdam solitariam vitam agentibus se adiunxit. Postea Romam profectus cum socio, instituti sui monastici confirmationem sub regula sancti Augustini à Gregorio XI. Papa circa annũ 1374. accepit: quam regulam hodieque seruant omnes per Hispaniam Hieronymiani. Huius ordinis caput est *Lupiana*, illustre monasterium in diœcesi Toletana situm, in quo hodieque adseruatur vestis monastica, qua dictum Fernandum Gregorius XI. induit.

Ceterùm anno 1422. ordo sancti Hieronymi in duas Congregationes est scissus, agente Lupo Olmedo, monacho Guadalupensi, viro erudito, qui Martini V. Papæ gratia pollens, Congregationem sancti Isidori excitauit, & suis regulam ex sancti Hieronymi scriptis à se compilatam, & ab eodem Pontifice approbatam præscripsit.

Congregatio S. Isidori.

Caput

Caput Iſidorianæ Congregationis fuit ſancti Iſidori monaſterium, ad Hiſpalim in Bætica ſitum: quod procurante Philippo II. Rege Catholico ad veterem Hieronymianorum Congregationem, cum cæteris eiuſdem inſtituti monaſterijs acceſſit. Itaque vniuerſa Hieronymianorum per Hiſpaniam cœnobia hodie vnius Præfecti, Lupianæ reſidentis, imperio ſubſunt.

Exſtant Chronica ordinis Hieronymianorum per Petrum Vegam Hiſpanicè conſcripta, & Compluti anno 1539. edita, ex quibus hauſi pleraque.

Ceterùm inter Hiſpanica huius inſtituti cœnobia, eminet in primis Scuriacum, vulgò *Eſcurial* nominatum, octauum mundi miraculum, quod Philippus II. Rex Catholicus in honorem S. Laurentij à fundamentis immenſo ſumptu excitauit. Depingit id eleganter Ioannes Mariana lib. de Inſtitutione Principis.

Eminet item *Sancti Iuſti* monaſterium in diœceſi Placentina ſitum, ad quod Carolus V. Cæſar relicto Imperio, raro exemplo, ſoli Deo vacaturus ſeceſsit, vbi & obijt.

CAPVT XXVI.

Congregatio monachorum sancti Hieronymi in Italia.

PRAETER Hispanicam est & alia monachorum S. Hieronymi Congregatio, à dicto Lupo Olmedo, natione Hispano, temporibus Martini V. Papæ instituta, quæ viginti circiter Italiæ monasteria complectitur, & vitæ regulam ex sancti Hieronymi scriptis ab Olmedo conflatam obseruat. Ad hanc Congregationem solent etiam spectare monachi Congregationis Isidorianæ in Hispania, de qua dixi superiore capite. Hodie subsunt Congregationi veteri Hispanicę, à Petro Fernando institutæ.

Ceterùm Italicæ Congregationis caput hodie est hospitale seu monasterium Lodeianense, in Longobardia situm, vt Paulus Morisus tradit.

Eiusdem Congregationis est monasterium sancti Alexij, in vrbe Roma situm, quod olim fuit ordinis Præmonstratensis. Id Lupo Olmedo ac socijs circa annum 1425. Martinus V. Papa tradidit.

CA-

CAPVT XXVII.

Origo Fratrum seu Clericorum vitæ communis, qui celeberrimas scholas in Belgio & Germania habuerunt.

GErardus Magnus Dauentriæ ad Isalam fl. in Germania nostra inferiore natus, Fratrum seu Clericorum vitæ communis auctor atque institutor, an. 1376. in Domino obdormiuit. Fuerat is olim Vltraiectensis, & Aquisgranensis Canonicus: quibus dignitatibus quanquam opimis, cum maximâ matrimonij parte, postmodum spontè relictis, totum se Deo proximorumque saluti procurandæ tradidit. Gerardus, inquit Massæus, cùm esset Parisijs doctissimus, relictâ Sorbonâ, Dauentriam redijt, vnde erat oriundus. Fratres illic instituit, qui scholas tenerent, & non tantùm litteras; sed mores quoque discipulos suos, & bene viuere edocerent. Viuunt autem in communi, secundùm instituta primitiuæ Ecclesiæ, siue proprio, siue mendicitate, diœcesanis suis simpliciter subditi. Quò autem tunc seriùs sese gesserunt, eò violentiùs antiquus hostis se illis opposuit: suscitauit illis detractores multos: quorum vnus in generali Concilio Constantiæ celebrato ausus est dicere eos esse ex illis, quos dudum Ro-

mani Pontifices, Bonifacius, Clemens, & Ioannes exterminauerant. Cui calumniæ viriliter restitit *Ioannes Gerson* Cancellarius Parisiensis, tunc in ipso Concilio præsens, eoque perpulit hominem, vt ipse cum libello famoso, quem Senatui obtulerat, igni adiudicaretur. Sed fratres qui aderant, aduoluti iudicũ pedibus, precati sunt veniam reo, vt liber tãtùm incenderetur non auctor. Annuitur precibus supplicantium: & incenso volumine iussus est auctor exire prouincia, nec amplius innocentes infamare. Pro quibus in eodem Concilio præfatus Gerson pulcherrimum tractatum edidit. Eosdem dictum Concilium, Martino Quinto præsidente, plurimum corroborauit, modumque viuendi cõprobans, hortabatur viriliter agere, scholas erigere, ad pietatem discipulos instituere, quibus Ecclesia Dei fulciretur, & quibus vel maximè tunc indigebat. Vidi ego ante annos multos præter dictum volumen Gersonis in Buscoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenij, vt & Pij II. litteras perpulchra priuilegia ipsis fratribus indulta continentes. Sic ferè Massæus: alibi tamen legi istud fratrum in communi sub regula S. Augustini viuentium institutum, anno 1376. à Gregorio XI. Pont. Max. fuisse adprobatum. Id disertè in procemio officij Ecclesiastici Eremitarũ Augustinianorum, Venetijs, Louanij & alibi excusi, (vbi ordines vniuersi D. Augustini signis militãtes recẽsentur) his verbis exprimi-

tur: *Ordo vitæ Cõmunis à Gerardo Teutonico instititutus, & à Gregor. XI. approbatus an. 1376. sub regula S. Augustini.* Cuius rei (si tamen vera) miror nullam apud Masſæum huius instituti sodalem, nec apud Thomam Kempenſem fieri mentionem. Ceterũ fratres, ſeu vitæ cõmunis clerici in Germania noſtra inferiore primi litteras humaniores excitarunt, & plurima olim eaq; celeberrima (vt hodie Patres Societatis Ieſu) per Galliam Belgicam, Germaniãque gymnaſia habuere; in his *Dauentrienſe, Suollenſe, Druſoburgẽſe, Vltraiectẽſe, Groningenſe,* & *Gaudanũ* apud Batauos & Friſios, *Bruxellẽſe, Siluiducenſe & Mechlinienſe* in Brabãtia, *Gãdenſe* & *Gerardimontenſe* in Flãdria; *Nouiomagenſe* in Geldria, *Embricenſe* & *Veſalienſe* apud Cliuios; *Leodienſe* item, *Cameracenſe*, *Colonienſe*, aliaque alibi. Hodie præter Siluiducẽſe, Colonienſe, Veſalienſe & alia aliquot fratrum domicilia, cætera ferè temporum iniquitate deſierunt, aut alijs religioſis hominibus ſunt attributa. Fuêre aũt inter fratres plurimi, cũ vitæ ſanctitate, tum doctrina illuſtres, quorũ res geſtas Thomas Kempenſis, ipſorum diſcipulus, ad poſteros trãſmiſit. Inter eos qui ſcriptis ſibi famam pepererunt, *Gerardus Sutphanius*, ſcriptor aſceticus, *Christianus Maſſæus* Chronographus, & *Georgius Macropedius*, Comœdus ac Philologus, eminent. Ex ipſorũ verò ſcholis plurimi ſcriptis itidem illuſtres viri, vt ex Dauentriẽſi *Thomas Kempenſis, Alexãder Hegius,*

Gymnaſia fratrũ vitæ communis.

Des. Erasmus Rotterodamus, & *Ioannes Murmellius*, ex Embricensi, *Matthias* & *Tilmannus Bredenbachij*, ex Nouiomagensi *Petrus Canisius* & *Busæi* fratres, ex Vltraiectensi *Cornelius Valerius*, *Henricus Cuickius*, *Franciscus Haræus* & *Henricus Sedulius*, ex Vninocibergensi, *Ioannes Despauterius*, ex Siluiducensi, *Ioannes Nemius*, *Simon Verepeius*, *Christophorus Vladeraccius*, (quorum plerique etiam fratribus in erudienda iuuentute auxilio fuére) alijque prodierunt. Inter fratres porrò, alij *Hieronymiani*, alij *Gregoriani* nuncupabantur, sed quo discrimine, nondum certò comperi.

Supersunt hodieque, vt dixi, fratres vitæ communis Coloniæ, Vesaliæ & Siluæ-Ducis: quorum Gymnasia plerisque locis desierunt, post scholas à Societate Iesu, maiore studio atque industriâ, passim institutas.

Ceterùm Domus fratrum *Mechliniensis* & *Gandensis*, ab illorum locorum Episcopis in Seminaria diœcesana sunt conuersa. *Bruxellensis* Domus hodie possidetur à monialibus Sanctæ Claræ, quas Vrbanisticas vocant. Domus *Leodiensis*, ab Ernesto Bauaro, circa annum 1581. tradita est Patribus Societatis Iesu. Domus *Cameracensis* hodie incolitur à monialibus Premiacensibus, ordinis sancti Augustini.

CA-

CAPVT XXVIII.

Ordo Alexianorum, ſeu Cellitarum, in Germania inferiore; itemque Nigrarum Sororum.

ALexius Romanus nobiliſſimus, Euphemiani Senatoris filius, propter eximium Ieſu Chriſti amorem, prima nocte nuptiarum, ſponſam intactam Rufinam nomine, S. Paulæ filiam, relinquens, illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit. Qui cùm 17. annos in itineribus ignotus fuiſſet, aliquando apud Edeſſam Syriæ vrbem, vbi in Xenodochio ſeruierat, per ſanctiſſimæ Mariæ Virginis imaginem eius nomine diuulgato, inde naui diſceſſit, vt Tarſi, in templo Diui Pauli Apoſtoli, opera pietatis proſequeretur. Sed nauis, diuino nutu, ad portum Romanum appulſa eſt: ipſeq; à patre Euphemiano, tamquam alienus pauper, & peregrinus hoſpitio excipitur: apud quem 17. annos omnibus ignotus vixit, multa à ſeruis paſſus, à quibus loco deliciarum iniurijs, contumelijs, & verberibus ſæpè affectus eſt. Cùm autem Honorius Imperator in domo Euphemiani, virum ſanctum, cuius precibus aſsiduis Deus vrbi propitius erat, deliteſcere accepiſſet, eius videndi cupidus, ab Euphe-

miano illũ sibi exhiberi imperat: sed *Alexi⁹* futurorũ præscius, vitæ suę cursu litteris diligẽtissimè consignato, dum domus excipiendo Imperatori paratur, omnibus inscijs, migrat è vita XVI. Kalend. Iulij Innocentio primo Pontifice Maximo. Cùm itaque Imp. Honorius, Theodosij filius, ad domum Euphemiani venisset, Alexium defunctum, chartam manu dextra ita tenentem, vt nulla vi euelli posset, inuenit. Aderat Pontifex, cui Alexius chartam, cùm illam Imperator genuflexus petijsset, concessit. Interim parentes & sponsa, ad sacrum corporis amplexum accurrentes, illud lachrymis quasi imbre decurrentibus rigant. Dum autem funus extolleretur, tantus populi concursus fuit, vt Imperator ad illum diuertendum pecunias proijci mandaret. Verùm tanta inerat omnibus videndi sancti viri cupido, vt pecunias negligerent. Multa namque signa fiebant, Dæmoniacis, leprosis, alijsque morbis insanabilibus affectis, diuinitus curatis. Oportuit autem sacrum cadauer per octo dies in templo S. Petri insepultum seruari: tantus erat vtriusque sexus, maximè languentium, ad illud confluxus. Denique in arca marmore & smaragdo ornata in æde S. Bonifacij conditum est: illique Ecclesia postea excitata. Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

S. Alexium, vt patronum colunt Cellitæ, qui Bruxellis, Antuerpiæ, Louanij, Mechliniæ,

niæ, Coloniæ, & alibi apud Belgas ac Germanos tumulandis mortuorum cadaueribus piam operam impendunt, nullis ſacris ordinibus initiati.

Præter Cellitas ſunt in dictis Belgicæ oppidis & alibi, *Nigrarum Sororum*, ſeu monialium inſuper cœnobia: quæ cùm domi, tum foris ægris ſedulò inſeruiunt. Nomen habent à veſtibus atri coloris, quas geſtant, & ſub regula S. Auguſtini viuentes ſubſunt viſitationi Ordinariorum.

CAPVT XXIX.

De varijs monaſterijs cùm virorum, tum mulierum, quæ in Xenodochijs & alibi ſeruiunt ægris, teſtimonium Iac. Vitriaci.

SVnt inſuper aliæ tam virorum quàm mulierum ſæculó renunciantium & regulariter in domibus leproſorum, vel hoſpitalibus pauperum viuentium abſque æſtimatione & numero certo in omnibus Occidentis regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter, & deuotè miniſtrãtes. Viuunt autẽ ſecundùm S. *Auguſtini* regulã, abſque proprio, & in cõmuni, ſub vnius Maioris obedientia; & habitu regulari ſuſcepto, perpetuã Domino promittũt continentiam. Seorſum autem viri & ſeorſũ feminę cũ omni reuerẽtia & caſtitate

 dor-

dormiunt, & manducant. Horas autem canonicas, quantum hoſpitalitatis ſtudium, & pauperum Chriſti miniſterium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt. In domibus autem, in quibus maior eſt conuentus & numeroſior fratrum & ſororum congregatio, frequenter in capitulo ad corrigendas delinquentium negligentias, vel pro alijs neceſſarijs & honeſtis cauſis, congregantur. Lectiones etiam diuinarum Scripturarum plerumque dum reficiuntur corpora, ſibi faciunt recitari; in refectorio & alijs certis locis, & horis conſtitutis ſilentium obſeruantes. Homines autem infirmos vel hoſpites ſanos, quos in domibus ſuis ſuſcipiunt, ſeparatos à mulieribus manducare faciunt, & dormire. Capellani autem eorum cum omni humilitate & deuotione pauperibus & infirmis in ſpiritualibus miniſtrantes, verbo diuinæ prædicationis indoctos inſtruunt, puſillanimes, & debiles conſolantur, & ad patientiam & gratiarum actionem exhortantur. Diuinum officium, vt omnes infirmi audire in lectis ſuis valeant, in capella communi, diebus & noctibus aſsiduè celebrant. Confeſsiones autem & extremas vnctiones, & alia ſacramenta diligenter & ſollicitè ſubminiſtrant infirmis, & mortuis debitam exhibent ſepulturam. Hi igitur Chriſti miniſtri, ſobrij & parci ſibi, & corporibus ſuis diſtricti valde & ſeueri, erga pauperes & infirmos miſericor-

diæ visceribus affluentes, & prompto animo necessaria pro posse subministrantes, quantò abiectiores sunt in domo Domini in via, tantò gradum sublimiorem consequuntur in patria. Tantas autem plerumque pro Christo sustinent infirmorum immunditias & fœtorum molestias penè intolerabiles, sibimet violentiam inferentes, vt nullum aliud pœnitentiæ genus huic sancto & pretioso in conspectu Dei martyrio posse arbitrer comparari. Hæc igitur sordium stercora, quibus velut fimo mentes eorum ad fructificandum impinguantur, Dominus in lapides pretiosos permutabit; & erit eis pro fœtore odor suauis. Hæc autem sancta & Deo amabilis hospitalitatis regula, & hospitalium religio in pluribus locis & domibus eorum adeò corrupta est, & quasi ad nihilum miserabiliter redacta, quòd hominibus reproborum sordida & detestanda congregatio, non solùm his, qui eorum nequitiam pleniùs agnouerũt, displicet, sed etiam in conspectu Dei fœtet. Sub prætextu enim hospitalitatis & simulatæ pietatis facti sunt quæstuarij, mendacijs & deceptionibus, & modis omnibus, quibus possunt, pecunias importunè extorquentes, seipsos pascentes, de pauperibus autem non curantes, nisi quantum eorum occasione possunt eleemosynas à fidelibus exigere, modicum conferentes pauperibus infirmis, vt propter hoc negotiatores dolosi & caupones a-

ſtuti, quodam venationis genere fraudulento multa lucrentur. Qui enim pauperibus parum tribuunt, vt ampliùs accipiant, & ſub prætextu eleemoſynæ quærũt diuitias, venatores potiùs quã benefici reputãdi sũt. Sic beſtiæ, ſic aues, ſic capiuntur & piſces. Modicum eſcæ in hamo ponitur, vt pecuniæ ſæculi in eo pertrahantur. Adeò autem importunè & irreuerenter & anxiè eleemoſynas petunt, vt religionis reuerentiam in ſe confundentes contemptibilem reddant. Contra quos ait B. Hieronymus: *Melius eſt non habere quod tribuas, quàm impudenter petere quod des.* Plerumque etiam perturbatos fratres multa in hypocriſi exteriùs ſimulantes, vel per mercenarios, & mendaces capellanos, qui ſimplices non formidãt decipere, & falcem ſuã in meſſem alienam mittere, vel per Indulgentiarum litteras, quibus turpis lucri cupiditate abutũtur, multa turpiter lucrantur. vt de illis taceamus, qui falſariorum crimẽ peſſimum incurrẽtes, falſis litteris, & bullis furtiuis in perditionem vti non verentur. Ea verò quæ turpiter congregant, quàm turpiùs in comeſſationibus & ebrietatibus expendant, & alia ſequẽtia, quę in occulto & in tenebris ipſi tenebroſi operantur, licèt non erubeſcant patrare, pudet tamen nos ad præſens recitare. de regularibus autem inſtitutis, & ordinis puritate, nihil præter exteriorem habitum retinentes, oẽs ferè per ſimoniam recipiunt. Qui turpiter in-

Loquitur contra abuſus.

ingreſſi, turpiſſimè ad imitationē aliorū ibidē commorantur, in murmure & diſſenſione, in iurgijs & ſeditionibus, in otio & diſſolutione, in loculis & proprij retentione, in cubilibus & immunditijs, & omnimoda fœditate, ſine affectione, abſque miſericordia, ſine fœdere. Lectos autem in oculis hominum ornatos, pauperibus aūt & infirmis vacuos, ad oſtentationē & ſeductionē cōponunt. Domos aūt hoſpitalitatis & pietatis in ſpelūcas latronū, proſtibula meretricū, & ſynagogas Iudęorum conuertūt. Huiuſmodi aūt peſtifera corruptio & deteſtabilis hypocriſis nō oēs hoſpitalium domos occupauit. Quędam enim ſunt regulares congregationes, & principales cōuentus, ſeu capitalia hoſpitalia, in quibus non deſinit feruor charitatis, vnctio pietatis, honeſtatis decor, & ſeueritas diſciplinæ; queādmodum ſunt hoſpitalia *S. Spiritus in Romana vrbe, & S Samſonis in Conſtantinopolitana ciuitate*, & *S. Antonij* in ipſo capite, & *B. Mariæ Ronſciuallis*, in introitu Hiſpaniæ, & alia quædā Deo grata, & pauperib. peregrinis ſeu infirmis valde neceſſaria. *Pariſiis* autē & *Nouiomi* in Frācia, *Pruuni in* Campania, & *Tornaci* in Flandria, & *Leodij in* Lotharingia, & *Bruxellis* in Brabātia ſunt hoſpitalia pietatis, & domus honeſtatis, officinæ ſanctitatis, cōuentus decoris & religionis, refugia pauperū, aſylum miſerorū, cōſolationes lugentium, refectio eſurientium, & ſuauitas & mitigatio infirmorum. *Hactenus Vitriacus.*

Hoſpitalia per Europā primaria. *Vide ſup. cap. 3.*

In-

Inter Hoſpitalia ſeu Xenodochia Belgica eminent in primis ea, quæ publicis ciuitatum ſumptibus, ſi annui cenſus non ſuffecerint, paſsim aluntur. Secundas obtinent ea, quę leproſis excipiendis ſunt deſtinata: vt de Hoſpitalibus S. Iacobi, S. Iuliani, S. Eliſabethæ, & aliorum Diuorum nominibus iam olim conſecratis nihil dicam.

CAPVT XXX.

Varij ordines ac Congregationes ſub ſancti Auguſtini regula militantes.

EST in Gallia *ordo Charitatis noſtræ Dominæ*, circa annum 1300. inchoatus.

In Italia apud Ligures floret Congregatio *Armeniorum*, ſeu S. Bartholomæi Genuenſis.

Sub eadem regula militat ordo *Prædicatorum*, à S. Dominico inſtitutus: de quo fuſiùs infrà dicemus lib. 3.

Congregatio S. *Ambroſij ad Nemus*, anno 1431. ab Eugenio IV. eſt confirmata.

Boni homines. *Saccitæ.* Congregatio *Bonorum hominum* in Anglia, per Richardum, Henrici III. Regis Angliæ fratrem, inchoata, vt & Ordo *Saccitarum*, ſeu fratrum Ieſu Chriſti de pœnitentia, iampridē deſierunt.

Barnabitæ. Ordo Apoſtolicorum, ſeu *Barnabitarum*, ad

ad S. Barnabam Apoſtolum originem refert: cuius inſtituti ſodalibus anno 1484. Innocentius VIII. regulam S. Auguſtini præſcripſit.

Ordo Hoſpitalariorum ſeu Miniſtrantium infirmis in Hiſpania per B. *Ioannem* Luſitanum circa an. 1540. inchoatus, ſub regula eadem anno 1571. à Pio IV. Papa eſt confirmatus. Dicti B. Ioannis vita exſtat conſcripta per Franciſcum Caſtrenſem, presbyterum & Rectorem Hoſpitalis Granatenſis: Apud eundem leguntur Conſtitutiones dicti ordinis.

CAPVT XXXI.

Ordines Equeſtres ſub regula S. Auguſtini militantes.

INter Ordines militares nobiliſſimi quique, nimirum *Rhodius* ſeu *Melitenſis* apud Italos, & *Teutonicus* ſeu *Marianus* apud Germanos, & *S. Iacobi* apud Hiſpanos, magni Auguſtini, vt ille loquitur, ſigna ſequuntur.

Idem faciunt Equites *S. Lazari* Ieroſolymitani, & *Ieſu Chriſti* contra Albigenſes à S. Dominico inſtituti: de quibus, vt & alijs Ordinibus Equeſtribus, vide librum noſtrũ Latinè primùm, pòſt Gallicè editum Antuerpiæ.

CA-

CAPVT XXXII.

De Ordine Equitum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo & sancti Lazari in Francia.

ORDO Equitum sancti Lazari olim celebris fuit in Terra sancta, vt & Templariorum, Ioannitarum, & Teutonicorum. Pro tessera gestabant crucem viridem.

Decursu temporis, vt fit, cùm ordinis Lazarini dignitas iaceret, Equites Rhodij (qui nunc Melitenses) ab Innocentio VIII. Papa impetrarunt an. 1490. vt dictus Ordo Equestris cum Rhodiensi vniretur.

Tempore Henrici IV. Galliæ Regis *Philibertus Nerestanus*, vir militia clarus Romam profectus, à Paulo V. Papa obtinuit, vt nouus Ordo Equitum, *titulo S. Mariæ de monte Carmelo, & S. Lazari*, institueretur in Gallia: & pro dote assignata sunt prædia Equitum olim Lazarinorum.

Nerestanus in his rebus Romæ procurãdis vsus est consilio, & opera Reuerendi Patris *Petri à Matre Dei*, Hispani, Carmelitæ Discal-

Discalceati; qui Paulo V. tunc erat à sacris concionibus.

Gestant Equites isti Mariani crucem violaceam, cum effigie Beatæ Mariæ Virginis.

Ceterùm ordo Equitum Hospitalariorum sancti Lazari Hierosolymitani, iam inde à multis retrò seculis sub regula sancti Augustini solet militare.

ORI-

ORIGINES ORDINVM AC CONGREGATIONVM sub regula S. Benedicti militantium.

LIBER II.

CAP. I.

De scholis Benedictinorum antiquis, & nouis.

MVLTA sunt ad rectè constituendam Rempublicam à legislatoribus viris prudentibus excogitata atque sancita præclarè: ac præcepta quidē de puerorū ætate ad omnem virtutis partem informanda maiorem quàm cætera vim habent. Præclara opinio gentium omnium firmata consensu, ex ipsis naturæ ducta principijs, si salui esse velimus, præcipuam & maximam curam iuuentuti esse impendendam. Quid enim est in homi-

hominum vita vel ad fructum ſuauius, vel ad dignitatem honeſtius, vel vſu ſalutarius, quàm ciues optimos exiſtere? Quid triſtius, ac verò exitialius cõtingat, quàm ſi à Dei notione atque operibus alieni, omnia ſceleribus ac libidinibus polluant feroces & rapidi? Quæ autem gens tanta humanitate culta, aut tam agreſtis & barbara, quæ non fateatur, non intelligat, à primis annis reliquam vitam pendere, eſſeque cum primis rudimentis apta cõnexaque cætera, poſtrema cum medijs, cum initijs vtraque ferè conſentire? Vt enim in ſemente poſita ſpes meſſis eſt: ità totius reliquæ vitæ exſpectatio ab educatione pueritiæ pendet. Altas radices agunt ſerpuntque latè, vti in noualibus, quibus primis annis ſemina committuntur. Itaque mirari deſinam omnia mala, graues calamitates quaſi facto agmine per vrbes & opida incurrere, eâ curâ neglectâ paſſim, quæ vel maximè commendata omnibus eſſe debuit publicè priuatimque. Filiorum infantiam delicijs & voluptate corrumpimus, corpus otio, animũ libidine imminuimus. Oſtro, purpura, & auro, gemmarum fulgore ſuperbiam faſtumque alimus: cupedijs irritatur palatum, nerui omnes corporis & animi eliduntur: domi audiunt videntque quę pudet pigetque referre exempla turpitudinum, vitiorum imagines, & credimus ex ijs pueris aut ſtrenuos milites, aut moderatos ciues euaſuros? quos potius credi

ORIGINES ORDINVM AC CONGREGATIONVM ſub regula S. Benedicti militantium.

LIBER II.

CAP. I.

De ſcholis Benedictinorum antiquis, & nouis.

MVLTA ſunt ad rectè conſtituendam Rempublicam à legislatoribus viris prudentibus excogitata atque ſancita præclarè: ac præcepta quidē de puerorū ætate ad omnem virtutis partem informanda maiorem quàm cætera vim habent. Præclara opinio gentium omnium firmata conſenſu, ex ipſis naturæ ducta principijs, ſi ſalui eſſe velimus, præcipuam & maximam curam iuuentuti eſſe impendendam. Quid enim eſt in homi-

hominum vita vel ad fructum ſuauius, vel ad dignitatem honeſtius, vel vſu ſalutarius, quàm ciues optimos exiſtere? Quid triſtius, ac verò exitialius cõtingat, quàm ſi à Dei notione atque operibus alieni, omnia ſceleribus ac libidinibus polluant feroces & rapidi? Quæ autem gens tanta humanitate culta, aut tam agreſtis & barbara, quæ non fateatur, non intelligat, à primis annis reliquam vitam pendere, eſſeque cum primis rudimentis apta cõnexaque cætera, poſtrema cum medijs, cum initijs vtraque ferè conſentire? Vt enim in ſemente poſita ſpes meſſis eſt: ità totius reliquæ vitæ exſpectatio ab educatione pueritiæ pendet. Altas radices agunt ſerpuntque latè, vti in noualibus, quibus primis annis ſemina committuntur. Itaque mirari deſinam omnia mala, graues calamitates quaſi facto agmine per vrbes & opida incurrere, eâ curâ neglectâ paſſim, quæ vel maximè commendata omnibus eſſe debuit publicè priuatimque. Filiorum infantiam delicijs & voluptate corrumpimus, corpus otio, animũ libidine imminuimus. Oſtro, purpura, & auro, gemmarum fulgore ſuperbiam faſtumque alimus: cupedijs irritatur palatum, nerui omnes corporis & animi eliduntur: domi audiunt videntque quę pudet pigetque referre exempla turpitudinum, vitiorum imagines, & credimus ex ijs pueris aut ſtrenuos milites, aut moderatos ciues euaſuros? quos potius credi

par est senatores factos, magistratus adeptos, maiore vitiorum licentia miserabiles strages quàm primùm ed turos. Non facilè eluuntur colores, quibus natiuus lanarum candor mutatur: ret net que testa odorem, quo est primo tempore imbuta. Prudenterque Virgilius, vt multa d xit:

Vsq; adeò à teneris assuescere multum est.

Rerum imagines à primis annis susceptæ, exempla, præceptaque quantopere hæreant, quantam vim siue ad corrumpendos mores, siue ad castigandos habeant, vix credi possit. Quòd quidã præclara facinora per totam vitam suscipiunt, prauos animi motus coercẽt: alij libidini & ignauiæ mancipantur, ferè ex prima institutione totum pendet. Canem tu mihi venaticum, dum est tener, instituas odore persequi feram, monstrare prædam rictu contracto, sublatave manu: equum inutilem putes noxiumq;, nisi à primo tempore domitus, tergo sessorem admittere, pedes mouere ad numerum, freno & calcaribus regi virgaq; sit edoctus. Mites arbores, dum sunt teneræ, adminiculis erigas, circumcidendo castiges, telluris vitio laborantibus mutes locum: ne ea cura neglecta siluescant, frustraque deindè omnis labor sit. Frangas enim citiùs quã flectas, quæ semel induruerunt; & erit aliquis tam alienus à communi sensu, tam oblitus publicæ salutis, qui non putet omnem curam teneræ puerorum ætati impendendam? formandos

mandos ad iustitiam, exemplis præceptisque ad innocentiam vitæ erudiendos, quo tépore mollis ceræ ad instar ducentis manum sequuntur, in quemcunque velis habitum formamque mutare? durati figuram externam non recipient, neque vllis præceptis castigati mutabuntur.

Et verò quantum valeat institutio, duorũ catulorum exemplo Lycurgus declarauit. Ijsdem enim parentibus vno partu ortos, alterum venationi assuefecit, alterũ offæ: deinde vtroq; in conuentum producto, cùm proiectum cibum alter cõsectatus esset; neglexisset alter præ studio insequendi leporem obiectum: quantum consuetudo valeat à teneris suscepta, ciuibus monstrauit, eamq; plerumque natura esse potentiorem docuit.

Rectè itaque maiores nostri, viri sapientissimi, prudentes legislatores, ad præcipuam suæ prouidétiæ partem pertinere iudicarunt, quibus moribus prima ætas imbueretur: plurimumque operæ posuerunt in puerorum institutione commendanda. Sic Lycurgus Lacedæmone ex numero principum ei curæ virum præfecit prudentia probitateque præstantem, quem Pædonomum dixit, sublatis seruis, quibus pueros instituendos credere antea ij ciues soliti erant, ne frequenti cum ijs vsu videlicet seruiles mores imbuerent, prouidebatur. Id secutus Aristoteles è pluribus magistratibus vnum ei

curæ, in qua ſalus publica vertitur, præficiendum cum ampla poteſtate iubendi vetandique conſtituit. Meliùs Perſæ (vti Xenophon ſcribit) diuiſa multitudine in quatuor partes pueris inſtituendis viros principes præfecerunt, ex ſenioribus ſelectos, probitate excellentes, vt vberior prouentus exiſteret, duodecim numero, quò partita inter multos cura, minor labor, maior diligentia eſſet. Quam induſtriam vellem ex parte noſtri Principes ciuitateſque imitarentur, eximijs ei curæ ex vtroque ordine ſacrato & populari præfectis cum poteſtate de præceptorum moribus, docendique dexteritate (in quo grauiſſimè peccatur multis modis) iudicandi publicè. Quî enim? calceos veſteſve non conficiat, niſi qui artis peritiam antè probarit:, filios ſine delectu cuicunque ſe obtrudenti erudiendos tradamus? Medicum nemo morbo curando niſi peritum artis quamuis rogatus accerſat: amicorum precibus cedamus filiorum magiſtro inſtitutoreque aduocando: apage dedecus ignauiaque grauis. neque enim tanti amici eſſe debent, vt propterea grauiſſima pignora in periculum vocentur. Sed & ijſdem ius ſit, me quidem auctore, inquirendi in ciuium mores cenſorum ad inſtar, ac coercendi malo priuatim patres in filiorum inſtitutione negligentes, pueros caſtigandi, includendique etiam ſi opus ſit rebelles, ingenio præfracto, præſertim qui defun-
ctis

ctis parentibus, aut domo profugi ſine lare familiari incertis ſedibus vagantur pueri puellæque: vnde ſcelerum licentia exiſtit, animi deprauantur, multorum corpora libidinum tabe contaminantur. A maioribus noſtris non alia cauſa litteras tradendi cura ſacrato ordini à primis temporibus demandata eſt, quàm quòd plurimi referre haberent perſuaſum, ſi pueri cum literis pietatem ſenſim inſtillatam auribus oculiſque imbiberent, apud viros ſacratos verſantes. Quo factum puto, vt qui litteris dant operam, ſacrati ordinis veſte & pileo à populo ſecreti ſint, vt in publicis ſcholis fieri videmus, præſertim in Hiſpania. In Gallia etiam quicunque litteris & eruditione conſpicui ſunt, magnos clericos vulgus vocat. Eam curam Pontificibus haud ſatis pro dignitate tractātibus, ac verò negligentibus, viri præ cæteris pietatis ſtudijs præſtantes, quos monachos dicimus, & in ſtudium impulſi iuuandi rempub. ſæpè arripuerunt, diuinum ſe Numen promereri eo labore procuratione que perſuaſi, in quo tantum momenti eſſe videbant. Antiqua Benedictinorum præſertim monaſteria ſcholæ publicæ erant ad iuuentutem erudiendam à viris ſanctiſſimis cōſtitutæ. Vnde haud leuis publica vtilitas extitit, ipſi magnis diuitijs atque ingentibus creuerunt, omnibus certatim pios eorum conatus iuuantibus re, opera, conſilio. Ex ijs monaſterijs velut ex arce ſapientiæ innume-

ri viri prodierunt, vtriusque Philosophiæ cognitione præstantes, diuinæ atque humanæ; vti editi eo tempore ab eaque natione hominum libri multi & excellentes in suo quisq; genere mirandi argumento sunt. Sic ferè Ioannes Mariana libro de Institutione Principis.

Maiorum suorum exemplo monachi Benedictini hodieque sacras litteras ac Philosophiam publicè profitentur *Hiraci* in regno Nauarræ, *Oueti* in Hispania, *Duaci* in Flandria, *Salisburgi* in Germania, & in alijs Christiani orbis Academijs.

Sic & Eremitæ Augustiniani, Dominicani, & Præmonstratenses in varijs Belgij opidis, laudabili instituto, scholas litterarias iuuentuti aperiunt: atque vtinam in Germania, Gallia, & alijs regionibus idem præstent! vbi præsertim Societas Iesu Scholas non habet.

Scio esse, quibus ista non æquè probentur: sed & illud scio *Aphraatam* monachum, cùm à Valente Imp. interrogatus esset, quid monachus ageret in publico, sapienter respondisse, se ad commune incendium exstinguendum prodijsse; Arianis nimirum in Ecclesiam orthodoxam sæuientibus: vt Theod. in Philet. cap. 2. & 8. & Baronius anno 370. commemorant.

CA-

CAPVT II.

Ordo ſeu Congregatio Cluniacenſis.

CLuniacenſis familia anno 913. ab *Odone* Cluniacenſi Abbate exordium ſumpſit, & nomen. Hic enim vir doctrina atque ſanctitate præſtans, ſancti Benedicti diſciplinam, quæ iam (quod natura fert in omnibus ferè rebus) ſenuiſſe videbatur, magnaque ex parte laxata eſſe, ad priſtinam formam reuocare aggreſſus eſt; quod etiam perfecit. Cuius exemplum ſecuti complures alij Abbates in tota fermè Italia, Hiſpania, Germania, Anglia, in ſuos ipſi quoque greges reformandos incubuere, idq; eodem ſucceſſu, & fructu: qui deinde vno ſpiritu, ac vinculo colligati (adhibita etiam Romanorum Pontificum auctoritate) quotannis conuenire conſueuerant ad ea tractanda & decernenda, quæ ad tuendam diſciplinam pertinebant. Magna omninò ea immutatio fuiſſe dicitur, in qua planè ad duo millia cœnobiorum reſtituta, & ſanata ſcribuntur.

CAPVT III.

Abbatum Cluniacensium catalogus seu chronicon, ex veteri manuscrito Cluniacensi.

BERNO I. ABBAS.

An. 910. ANno D.CCCC.X. incarnationis Dominicæ, *VVilhelmus* Dux Aquitanorũ, S. Petro & S. Paulo Cluniacense cõstruxit monasteriũ, ibique sanctissimum *Bernonem* ordinauit Abbatem: qui, vt Deus dedit, & ipse potuit congregationem sibi commissam, quoad vixit, satis strenuè rexit, regnante Carolo Rege. Idẽ verò gloriosissimus Dux, fundator tam acceptabilis cœnobij, in Briuatensi vico, apud S. Iulianum martyrem sepultus, requiescit. Idẽ autem Pater *Berno* à S. *Gedeone* Archiepiscopo Bisontinensi ordinatus est. An. DCCCC.X-
918. III. iam dictus Dux obijt.

ODDO II. ABBAS.

926. ANno D.CCCC.XXVI. amantissimus Pater *Berno*, obitus sui imminere praenoscens diem, omnem congregationem sibi adstare iubens, Patri *Oddoni* Cluniacense, Masciacense atque Dolense cœnobium commisit regendum: alteri verò fratri, nomine VViddoni, reli-

reliqua monasteria reliquit regenda. Quibus & præcepit, carissimoque affatu rogauit, vt vnanimiter sibi omni tempore adhærentes, semper vniti permanerent. Quòd si in aliquo ab his deuiarent, vel modum priscæ conuersationis in aliquo deprauarent, Priores horũ locorum hæc, prout possent, corrigerent, hãc eorum societatem Principibus cunctis comprobando roborantibus. His peractis obijt idẽ Pater, eodem anno, Idib. Ianuarij. Requiescit verò in ipso monasterio. Ipso eodemq; anno sanctissimus Oddo à Bisontinensi Archiepiscopo Bernuino consecratus est.

EYMARDVS III. ABBAS.

ANno ab incarnatione Domini D. CCCC. XLIV. beatus Pater *Oddo* apud Turonicã ciuitatem, in monasterio S. Iuliani, quod ipse à fundamentis construxit, degens, incidit in languorem. Tunc cunctis fratribus euocatis, omnia sua, cunctaque monasterij disposuit: de Cluniacensis loci interim ordinatione reticuit. Sed fratribus super hac re eũ percunctantibus, respondit: *Cluniacum suæ dispositioni reseruauit Deus, nec nostræ ordinationi hac in re subditur ille locus, capella solummodo mea retenta, ad Missæ celebrationem, causa animæ meæ simpliciter quæque necessaria sunt, illuc mittantur.* Ita sanctissimus Pater hebdomada Octauarũ S. Martini 14. Kal. Decemb. inibi obijt, ibiq; 944.

ſepultus quieſcit. Eodem verò an. Dominus Eymardus in Cluniaco eligitur, humilis quidem genere, ſed celſus humilitatis culmine. Nãq; fratribus ſuper electione Abbatis cõciliũ agentibus, idem ſanctiſſimus Eymardus à Cauinije rediens, ſua obedientia, equum, ſuper quem ſedere conſueuerat, ante ſe, ipſe pedes, piſcibus onuſtum ducens conſilio eorum admiſcetur, omnibus eius humilitatem mirãtibus. Itaq; eius humilitate obtinente Abbas eligitur, & ab Odnenſi Epiſcopo *Rotmundo*, regnante Lodouico conſecratur.

MAYOLVS IV. ABBAS.

ANno ab incarnatione Domini DCCCC. LIV venerabilis Pater *Eymardus* ad comprobandũ corripitur à Domino, à benigniſſimo Ieſu flagello piæ caſtigationis erudiendus, diſpẽdio luminis oculorũ ab ipſo in perpetuum ſeruãdus, ſpatio decem annorũ exercetur. Qui ſtatim Sanctiſſimũ *Mayolum* loco ſuo ſubrogari decreuit, & cum conſilio omnium fatrum à Cabilonenſi Epiſcopo, nomine *Holdebodo*, ordinari rogauit. Anno ab incarnatione Domini DCCCC.LXIII. dulciſſimus Pater Eymardus, poſt diutinũ cæcitatis verber, à Domino tandem ad cœleſte regnũ euocatus, eductus eſt de hoc carnis carcere 3. Non. Octob. Sepultus verò eſt in Eccleſia Cluniacenſi.

Anno DCCCC. LXXXI. dedicatio fuit Cluniacenſis monaſterij facta ab *Hugone* Archie-

chiepiſcopo Bituricenſi XVI. Kal. Martij, Lothario regnante.

ODILO V. ABBAS.

ANno ab incarnatione Domini DCCCC. XCIV ſanctiſſimus Mayolus, rogatu *Hugonis* Regis Franciã petens Siluiniacum deuenit; vbi vltima ęgritudine prębentus, Aruernico genere illuſtrem ſibi ſucceſſorẽ, & Cluniacenſis ingentis monaſterij *Odilonem* deſignauit Abbatem. Quo facto, idem beatiſſimus Pater inibi temporalis vitæ ſortitus eſt finẽ; ibique ſepultus cõgruis veneratur honoribus; Hugone Rege regni gubernacula tenente. At verò miſericordiſſim⁹ Pater Odilo die feſtiuitatis Pentecoſtes à Veſontionenſi Archiepiſcopo *Letaldo* nomine conſecratus, ſuſcepit Cluniacenſis ouilis regimen. Anno M. XXIII. oritur Pater *Hugo*, electus à Deo, Burgũdiorũ illuſtri genere, cuius genitor *Dalmatius*, mater vero *Aremburgis* vocitati ſunt.

HVGO VI. ABBAS.

ANno ab incarnation. Domini. M. XLVIII. ſanctiſſimus & clementiſſimus Pater *Odilo*, Siluiniaci degens, Vigilia Circumciſionis Domini mortalis vitæ adeptus eſt finem. Quẽ locum præceſſoris ſui B. Mayoli inſignem corpore ipſe etiam nobilitat proprij corporis tumulatione. Subſequente verò ipſo eodemque anno, tempore Quadrageſimali, Pater *Hugo* electus: nec mora, in ipſa ſolennitate Cathedræ S. Petri Abbas ordinatus,

nunc

nunc in præsenti, vt decet, officij sui ministerium adimplet.

PONTIVS VII. ABBAS.

ANNO Verbi incarnati M. C. IX. beatæ memoriæ Domnus ac venerabilis Hugo an. ordinationis suæ L XI. ætatis verò L XXX VI. viam vniuersæ carnis ingressus, beato fine migrauit à sæculo, sepultusque est in basilica noua, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quam ipse à fundamentis erexerat. Hic non solùm carnis, sed etiam mentis nobilitate cōspicuus extitit, ac locum istum super omnes antecessores suos ædificijs, ornamentis, possessionibus, monasterijs, cellis, vltrà quàm credi potest, vsquequaque fide & industria sua ampliauit. Qui cùm esset omnium virtutum exercitijs decenter ornatus, monasticæ religionis ordinem laxiùs diffluentem prouidentiæ manu restrictiuè coarctauit, geminasq; Missas, vnam sc. pro fratribus defunctis; aliā verò pro viuis in duobus oratorijs à se constructis cotidie cantari constituit; ita verò eleemosynis, supra oēs nostri temporis homines, semper fuit intētus, vt illius Ecclesiastici verbi sententia dignè illi congruere videretur, qua dicitur: *Eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia Sanctorum.* Hic à Deo nobis donatus, diu ad profectum huius loci viuere permissus est, gregemque sibi creditum, verbis pariter & exem-

exemplis erudiens, multipliciter augmentauit, tandemque senio confectus, tertio Kal. Maij, in hebdomada Paschali, sācto fine quieuit. Succeſsit ei in Abbatiæ regimine venerabilis vitæ vir, nomine *Pontius*, tam carnis, quā vitæ nobilitate clariſsimus communique totius ſanctæ fraternitatis electione promotus VII. Idus Maij, à Domino *VVidone* Viennēsis Eccleſię Reuerendo Archiepiſcopo conſecratus, & in ſede ſua cum magna totius populi acclamatione, & exultatione locatus eſt.

Hoc anno apud Cluniacum obijt *Gelaſius* Papa II. ſepultuſque eſt inter crucem & altare poſt chorum. Suprascriptus verò *VVido* Viennenſis Archiepiſcopus apud Cluniacum in Romanum Papam eſt electus, qui & *Calixtus ſecundus* dictus eſt.

HVGO II. ABBAS VIII. ET Petrus Venerabilis.

M.C.XXII. anno Domnus *Pontius* pro quibuſdam negotijs huius Eccleſiæ agendis Apoſtolicam Sedem adiuit. Ibi quadam animi ſui cōmotione exaſperatus, in manu Domni Apoſtolici Calixti Abbatiæ Cluniacēſi inconſultè abrenunciauit; Ieroſolymam iratus magis quàm deuotus petijt: ibi aliquandiu moratus, occultis quorundam litteris reuocatus, in Longobardiam diuertit. Vbi iterum aliquantulum moratus, Eccleſiam in cāpo *Sion* conſtruxit; cùm ecce certus factus de con-

cōcordia erga ſe, tā monachorū quā burgēſium, ſubitò Cluniacū venit, eccleſiam Apoſt. Petri & Pauli armata manu inuaſit. Quātā ſtragē in occiſiōe hominū, quantū eccleſię in ornamētis ſuis diſpēdiū fecerit, nō ſine lachrymis eſt dicendū. ad vltimū pro huiuſmodi facinoribus Romā ab *Honorio* Papa publico anathemate euocatur, quaſi cauſā ſuā probaturus cōtra D. *Petrū* Abbatē, in eius abſceſſione, D. Calixti iuſſione, & monachorū Cluniacenſiū cōmuni electione, canonicè inſtitutū. Romā petijt, ibi dānatus, & ne mai⁹ malum faceret, à Papa retētus, vitā finiuit. In abſceſſu aūt illi⁹ *Hugo II.* Prior ſanctimonialiū de Marſiniaco ei ſubſtitutus eſt in Abbatem. Quo poſt tres menſes defuncto, 9. die Iul. dilata electione cauſa cōgregandi viros religioſos & prudētes, vſq; in Octauā Aſſūptionis Dei Genitricis, electus vir vitę venerabilis, dilectus D. *Petrus*, cognomēto *Maurity*, nobilis genere, Aruernia oriūdus, ętate iuuenis, maturis morib⁹ ſenior, nō plus 28. ann. & à Biſuntinenſi nomine *Anſierio* cōſecratus, paſtorale officiū adeptus eſt.

Anno M.C.XLVII. Ludouicus Rex Frācię Ieruſalem menſe Iunio perrexit.

Anno M.C.XXXVII. obijt Ludouicus Rex Francorum.

M.C.LIII anno obijt B. Bernardus.

An. M.C.LV. tātus terræ motus in Burgūdia factus eſt, vt in quibuſdā eius partib. plurima ædificia cōcuſſa ſubuerterit. Hoc etiā anno illuſtris vir *Henricus* VVintōnis Epiſc. ro-

gatu Dõni Petri Abbatis, & ab Adriano Papa litteris inuitatus, ſimul etiã à Rege Frãciæ *Ludouico* iuniore, & ab omnib. ferè Burgundiæ perſonis & Baronibus euocatur. Cluniacũ venit, eandẽq; eccleſiã graui æris alieni pondere oppreſsã prudẽtia & expẽſis ſuis omni ferè debitorũ alleuauit onere, ita, vt tã in perſolutione debiti, quã etiã in reparãdis poſſeſſionibus, neceſſarijs etiã rei familiaris cõparandis, ſicut ex ore eius audiuimus, pluſquã 7. millia marcharum argenti expenderit.

Anno MCLVII. prima ipſius anni die, reuerẽdus & cũ multo amore recolẽdus Domnus *Petrus* Abbas viã vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Fuit aũt exitus eius huiuſcemodi; Vigilia Natiuitatis Dominicę, cũ ille ſuo more ſanus & incolumis capitulũ ingreſſus, Natiuitatis Dominicæ pronũtiationẽ audiſſet, & venerandæ feſtiuitatis nũtium, toto corpore proſtratus, humili deuotione, deuotaque humilitate, de more Cluniacẽſi adoraſſet, & poſt lectionẽ, & defunctorũ abſolutionẽ, ſermone ſublimiter inchoato, Natiuitatis Dominicę præconia, & prophetarũ vaticinia paulò altiùs ingrederetur, ſubitò in medio ſermonis, oculis illi9, prę deuotiõe, lacrymarũ flumine (quarũ ſingularẽ gratiã obtinebat) nõ tã madentibus quàm inundãtibus, morbo corripitur; & de ipſo Capitulo manibus filiorum, præ dolore nimio ferè inſaniẽtiũ, ad ſecretiores deportatur domos; vbi tota die, & nocte ſequenti cuſtoditur: tãdem illuceſcente aurora Dominicę Natiui-

tiuitatis, ea videlicet hora, qua Christus mũdum ingressus creditur, mundo exiens, solénitatem Dominici ortus cum Angelicis spiritibus celebrare perrexit, de illius exitu tam Angelis exultantibus, quàm filijs dolentibus. Sepultus est in capite maioris & nouæ basilicæ, cum magno honore, & grandi filiorum suorum dolore, ab illustri viro Henrico VVintensi Episcopo; & dies successoris eius eligendi à Natiuitate Domini vsque ad Dominicam, qua in Ecclesia de pastore bono boni pastoris verba recitantur, per quindecim hebdomadas dilatus est.

HVGO III. ABBAS.

1163. M. C. LXIII. an. Domnus *Hugo* Abbas tertius recessit, & Domnus *Stephanus* Abbas successit.

M. C. LXXI. hoc anno S. *Thomas* martyrizatus est. Depositio Domni *Henrici* VVintensis Episcopi V. Idus Augusti.

M. C. LXXIII. Depositio Domni *Stephani* Abbatis, & electio Domni *Rodulfi* Abbatis, nepotis supradicti Episcopi, consecrati à Domino *Petro*, Cabilonẽsi Episcopo, regnante Ludouico Rege Francorum, VII. Kal. Sept.

M. C. LXXVI. hoc anno Dominus *Radulphus* de Soliaco dimisit Abbatiam Cluniacensem, & Domnus *Salterius* electus est, qui suscepto regimine, cùm persoluisset maximã partẽ debi-

debitorum, quibus Ecclesia Cluniacensis grauabatur, peccatis nostris exigentibus ablatus est nobis à Deo infra annum post susceptioné regiminis, & electus est Domnus *VVilhelmus* Abbas Ramesiẽsis, qui tribus annis nobis pręfuit. Quo apud Charitatem defuncto, electus est Domnus *Theobaldus*, Abbas S. Basoli. Anno auté ab incarnatione Domini M. C. LXXVIII. idem Domnus *Theobaldus* Abbas Cluniacensis assumptus est in Ostiensem Episcopum.

Hvgo IV. Abbas.

Electus est Domnus *Hugo*, Abbas S. Luciani Beluacensis. Anno M. C. XXCIX. *Philippus* Rex Francorum & *Ricardus* Rex Anglorum perrexerunt Ierusalem.

Hvgo V. Abbas.

M. C. XCIX. anno obijt Domnus Abbas *Hugo IV.* & Domnus Abbas Radingensis *Hugo V.* electus est.

M. CC. VI. anno à Constantinopolitana vrbe delatum est caput S. *Clementis* à duobus nobilibus viris, videlicet Dalmatio de Secianco, & Pontio de Bernosa.

M. CC. VII. anno obijt Domnus Radingensis *Hugo* Abbas V. quartò Kal. Sept. & electus est Domnus *VVilhelmus*, tũc Prior Clunia-

n'acensis, & sancti Martini de Campis Parisijs.

Anno M.CC.XV. dictus Domnus *Guilielmus* Abbas II. resignauit, & Domnus *Sirodus* Abbas Molismensis eligitur.

Anno M.CC.XX. resignauit Domnus Sirodus, electus in Episcopum Valentinensem, *& Rolandus* eligitur.

Anno M.CC.XXVIII. resignauit Domnus Rolandus,& D.*Bartholomæus* eligitur.

Anno M.CC.XXX. obijt Domnus Bartholomæus,& D. *Stephanus de Bersiaco* eligitur.

Anno M.CC.XXXVI. resignauit Domnus Stephanus de Bersiaco,& Domnus *Hugo Abbas* Maioris monasterij, diuina prouidente clementia, electus est.

Anno M.CC.XLIV. Domnus *Hugo* Abbas in Lingonensem Episcopũ assumptus est, & Domnus *Guilielmus*, Prior de Charitate, electus est.

Anno M.CC.LVIII. Domnus Guilielmus resignauit, & in Episcopum Oliuensem asũptus est , & Domnus ac venerabilis Iuo, tunc Prior S.Marcelli Cabilonẽsis, à toto conuentu, in pleno capitulo, eligitur in Abbatem.

Anno M.CC.LXXV. dictus Domnus Iuo obijt,& die sepulturæ suę electus fuit Domnus *Iuo II*. Prior S.Martini Parisiensis.

Anno M.CC.LXXXIX. obijt Domnus Iuo II. & *Guilielmus de Igiaco* eligitur.

Anno M.CC.XCV. obijt prædictus Guilielmus,

elmus, & *Bertrandus*, tunc Prior de Charitate, eligitur.

Anno M. CCC. VIII. obijt Domnus Bertrandus, & Domnus *Henricus*, Procurator in Curia Romana pro ordine Cluniacensi eligitur.

Anno M. CCC. XVIII. Henricus in Episcopum S. Flori constituitur, & Domnus *Raymundus* in Abbatem Cluniacensem instituitur.

Hactenus ex Chronico Cluniacensi, quod manuscriptum reperi Parisijs in monasterio sancti Martini Campensis, anno Christi 16 o. cùm ibi negotiorum publicorum caussa versarer. Fuit autem auctor illius Chronici monachus Cluniacensis, & floruit annis Christi 1155. & 1176. vt suis suprà locis datur intelligi.

De his & alijs fusissimè Andreas Quercetanus, in Bibliotheca sua Cluniacensi.

CAPVT IV.

Ordo Camaldulensium per sanctum Romualdum institutus.

ROMVALDVS Rauennæ, Sergio patre nobili genere natus, adolescens in propinquum monasterium *Classense* pœnitentiæ causa secessit. Vbi religiosi hominis sermone ad pietatis studium vehementiùs

incensus, viso etiam semel & iterum per noctem in Ecclesia beato *Apollinari*, quod Dei seruus illi futurum promiserat, monachus efficitur. Mox ad *Marinum*, vitæ sãctitate atq; asperitate in finibus Venetorum eo tempore celebrem, se contulit, vt ad arctam & sublimem perfectionis viam eo magistro ac duce vteretur.

Multis satanæ insidijs, & hominum inuidia oppugnatus, tantò humilior se assiduè ieiunijs & orationibus exercebat, & rerum cælestium meditatione, vim lacrymarum profundens, fruebatur: vultu tamen adeò læto semper erat, vt intuentes exhilararet. Magno apud Principes etiam & Reges in honore fuit: multique eius consilio, mundi illecebris abiectis, solitudinem petierunt. Martyrij quoque cupiditate flagrauit, cuius causa dum in Pannoniam proficiscitur, morbo quo affligebatur, cùm progrederetur, leuabatur, cùm recederet, reuerti cogitur.

In vita & post mortem miraculis clarus, spiritu etiam prophetiæ non caruit. Scalam à terra cœlum pertingentem, in similitudinem Iacob Patriarchæ, per quam homines in veste candida ascendebant & descendebant, per visum conspexit, eoque Camaldulenses monachos, quorum instituti auctor fuit, designari mirabiliter agnouit. Denique cùm annos centum & viginti ageret, & centum ipsos in summa vitæ asperitate Deo seruisset, ad

eum

eum migrauit anno salutis millesimo vigesimo septimo. Eius corpus quinquennio postquam sepultum fuerat, integrum repertum, Fabriani in Ecclesia sui Ordinis honorificè conditum est. 1027.

Sanctum porrò Romualdum Clemens VIII. in Diuos retulit, & Breuiario ac Martyrologio Romano adscripsit.

Est autem *Camaldulum* in diœcesi Aretina situm, cuius accurata descriptio exstat in tomo Italiæ illustratæ, per Andream Scottum edito.

CAPVT V.

Ordo Vallis Vmbrosæ, per S. Ioannem Gualbertum.

IOannes Gualbertus, Florentiæ Gualberto viro militari nobilique natus, pieque educatus, cùm factus grandior in fratris interfectorem incidisset, & districto gladio indignã fratris necem vlcisci paratus esset, inimico ex equo descendenti, humique prostrato, & vitam sibi Christi amore condonari postulanti, ex animo per Christum crucemq; illius adiuratus pepercit. Quod Christo Domino adeò iucundum fuit, vt cùm *Ioannes* ex via in ædem S. *Miniatis*, de more preces fusurus, ingressus fuisset, & ante Crucifixi imaginem oraret, (mirabile dictu) ea imago caput ver-

ſus Ioannem, quaſi gratias agens, inclinarit. Qua re commotus Ioannes, veſtem monaſticam in eodem S. Miniatis cœnobio, patre iniquo animo principiò ferente, ſuſcepit, eoſque breui indies progreſſus in obſeruantia monaſtica fecit, vt Abbate defuncto, ſummo omnium conſenſu in locum illius eligeretur. Verùm eo recuſante, quidam ambitione ductus, ab Epiſcopo Florẽtino, data pecunia, Abbas præficitur. Quod vbi reſcitum fuiſſet, *Teuzonis* viri docti & probati conſilio, Ioannes, ad Simoniæ deteſtationem, Epiſcopum, & Abbatem ſimoniacos palàm proclamare non dubitauit. Et ex eiuſdem Teuzonis conſilio, vrbe egreſſus, *Camaldulũ* ſe contulit; vbi aliquot dies commoratus, viuendi normam eorum monachorum didicit, deinde in *Vallem Vmbroſam* venit: vbi loci ſolitudine delectatus monaſterium exſtruxit, primaq; ordinis Vallis Vmbroſæ, factus primus Abbas, fundamenta iecit. Aderat inter alios eius alumnos, *Erizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus*, & *Petrus* poſtea cognomento *Igneus*. Ibi ex nimia vitæ auſteritate languorem ſtomachi perpetuum contraxit, vt alijs miſereri diſceret. Cũ autem multi tum Nobiles, tum Principes opes, fama ſanctitatis ducti, offerrent, & loca prædiaq; largirentur; ea deſpiciens potiùs pauperibus illa erogari hortabatur: quæ verò monaſterijs ſuis donata

vel

vel legata erant, vendi dariq́ue pauperibus iubebat. Cùm autem vir quidam diues, monasterium ingreſſus, totum illi patrimonium, deſpectis heredibus, reliquiſſet, vir Sancto zelo accẽſus, ſibi codicillos allatos diſcerpſit, Eccleſiamq́ue ingreſſus, Deum & beatum Petrum loci tutelarem precatus eſt, vt tantam, aduerſus regulam & paupertatis votum, iniuriam vlciſcerentur. Vixq́ue pedem inde extulit, cùm flamma de cœlo monaſterium illud abſumpſit. Interea Epiſcopus Florentinus, *Petrus* nomine *Ticinenſis*, non modò ſimoniæ, ſed & hæreſis vitio aſperſus, non mediocri ſcandalo erat. Quapropter Ioannes, vt ciuitatem ea peſte purgaret, Epiſcopum publicè ad ſacrorum functionem minùs idoneum dicebat. Ad quem, in monaſterio S. *Saluij* exiſtentem, interficiendum Epiſcopus magnam armatorum turbam miſit, qui ianuis effractis multos ex monachis vulnerarunt: qui vbi præter opinionem conualuiſſent, Romam profecti, vt Synodus fieret, obtinent; ſed Epiſcopis partes Petri Antiſtitis, vt videbatur, defendentibus, monachi innocentiæ fidentes, ſe, quod Epiſcopo Florentino obijciebant, per ignem probaturos exhibent. Quæ res cùm populo probaretur, licèt Epiſcopi reclamarent, quod Deus tentari videbatur, accepta conditione, vt ſi monachus ignem

ingressus illæsus exisset, Episcopus Florentinus reus haberetur, dies constituitur: qua adueniente, *Petrus* Abbas, Ioannis discipulus, post Missæ celebrationem, casula deposita, acceptaq; in manibus cruce, & à S. Abbate benedictione, populo inspectante, inter duas lignorum strues optimè accensas, flammis aditum inter illas occupantibus, ingressus per medios igneos globos, pedibus prunas calcans illæsus, populo stupente, ac volentem eadem via per flammas ingredi retinente, pertransijt, ne capillo quidem à flamma violato. Eo miraculo tantus nouo Ordini honor haberi cœpit, vt cœnobia certatim illi construerentur. *Petrus* verò *Igneus* ab euentu nominatus, in Cardinalem & Episcopum Albanensem electus est. Sanctus autem Ioannes senio confectus, clarus miraculis, IV. idus Iulij migrauit in cœlum anno salutis 1073. Diuis postmodum à Cælestino III. anno 1193. adscriptus.

Petrus Igneus, Card. et Ep. Albanẽsis.

1073.

Ita tradit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex Breuiario Vallis Vmbrosæ, & vitæ historia, per Blasium Melanesium, eiusdem ordinis Generalem, conscripta.

Ceterùm Ordo primitus gubernabatur per Abbatem perpetuum: sed ab anno 1540 gubernari cœpit per Præsidentem triennalem. Suntque illius instituti plurima monasteria cùm virorum, tum virginum in Italia.

CA-

CAPVT VI.

Ordo Grandimontensis, in Gallia, per sanctum Stephanum institutus.

ORDO Grandimontensium monachorum (quos Galli *Bonos homines* vocare solent) in Lemonicensi dœcesi circa annum Christi 1080. sumpsit exordium, auctore atque antesignano *Stephano*, miræ sanctitatis viro. Sic tradit Aimarus Falco in historia ordinis sancti Antonij, anno 1534. Lugduni edita. Obijt autem sanctus Stephanus anno 1126. vt docet Baronius in Annalibus.

Ordinem Grandimontensem, decursu temporis & quorundam iniuria nonnihil labefactatū Ioannes XXII. Papa reformauit, & monasterium Grandimontense, quod hactenus Priorem habuerat, Abbatis titulo decorauit: additis Constitutionibus varijs, ad instituti illius disciplinam atque integritatem conseruandam.

Ordinem porrò Grandimontanū Benedictinæ potiùs, quàm Augustinianæ regulæ addictum esse, docet Choppinus, Sacræ Politiæ libro 1. & 2. & Monasticorum lib. 2. tit. 1.

De fratribus & monachis Grandis-Montis Iacobus Vitriacus (qui anno 1244. Car- *Hist. Occid. cap. 19.*

 dinalis

dinalis Romæ obijt) multa commemorat, ad quem remittimus Lectorem curiosum.

Prioratuum Conuentualium, à Grandimontensi Abbatia dependentium, catalogus exstat cap. 64. in Originibus meis Benedictinis, & apud Choppinum libro citato.

CAPVT VII.

Ordo Cisterciensis, à S. Roberto Abbate Molismensi institutus.

CIsterciensis familia ex Benedicti ordine manauit ac fluxit. Anno millesimo & nonagesimo octauo, *Robertus* Molismensis cœnobij Abbas, cùm subditos suos præ diuitijs & rerum copia à primo instituto degenerare cognosceret, consilio cum aliquot ex illis communicato, vno & viginti socijs assumptis, *Cabilonem* se contulit, præcipuam eo tempore Burgundiæ vrbem, & in solitario quodam loco, cui *Cistercium* nomen erat, sedem ac domicilium collocauit: quod ideo est Cisterciense appellatum. Sed interea Molismenses monachi pœnitentia ducti, Robertum multis precibus reuocarunt; & is ad pristinam sedem & cœnobium mandante Summo Pontifice se retulit. In cuius locum Cistercij *Stephanus* suffectus est, qui fuerat il-

illius secessionis auctor. Quindecim deinde annis exactis, *Bernardus* Dei nutu ad Stephanum venit, & in Cistercienſi cœnobio cum triginta socijs sese monasticæ vitæ addixit. Bernardi verò mira virtute & sanctitate ita est ordo Cisterciensis auctus, vt dimissis in totum terrarum orbem monachis & alumnis, centum sexaginta monasteria viuens ipse Bernardus exstruxerit. Ex hoc ordine duo Romani Pontifices prodierunt, *Eugenius* III. & *Benedictus* XII. Sicut ex ordine Cluniacensi quatuor Pontifices Romani exstitisse perhibentur, *Gregorius* VII. *Vrbanus* II. *Callistus* II. & *Clemens* VI. Et quia vterque ordo Cluniacensis, & Cisterciensis sancti Benedicti regulam seruat, ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroque ordine assumpti, & electi sunt, dicũtur etiam ex ordine S. Benedicti delecti: & hinc factum est, vt Trithemius solùm numeret duodeuiginti Romanos Pontifices ex sancti Benedicti ordine creatos, cùm tamen alij referant viginti quatuor, alij viginti octo, alij triginta. Nam præter eos, quos recenset Trithemius, alij numerant Benedictum I. Pelagium II. Leonem II. Gregorium II. Gregorium III. Paschalem I. Gregorium IV. Sergium IV. & Ioãnem XIX. Vt mirum non sit, quod dicitur, Romanam Ecclesiã generatam fuisse per trecentos annos à Pontificibus ex Sancti Benedicti ordine assumptis; imò

imò quidam aiunt per quingentos annos id factum fuiſſe.

CAPVT VIII.

De Sanctis, ac Beatis ordinis Ciſterciensis.

SAnctos voco, de quibus Officium Eccleſiaſticum recitatur, aut qui Rom. Martyrologij tabulis ſunt adſcripti: Beatos autem, qui in magna quidem ſunt veneratione, officio tamen Eccleſiaſtico non coluntur.

Inter Sanctos huius ordinis primas meritò tenet S. *Robertus* Abbas primus, & inſtitutor cùm monaſterij tum ordinis Ciſtercienſis.

Secundas tenet S. *Bernardus* Abbas Claræ Vallis.

Sequuntur deinde S. *Malachias* Epiſcopus Hibernus, *S. Guilielmus* Archiepiſcopus Bituricenſis, & S. *Petrus* Archiepiſcopus Tarentaſienſis: de quibus in Chronico Ciſtercienſi, Coloniæ anno 1614. edito diſſeruimus.

His addantur, S. *Robertus* Abbas Ciſtercienſis in Anglia, Rom. Martyrologij tabulis 7. Iunij adſcriptus, qui anno 1159. obijt. Exſtat vita apud Surium tomo 3.

S. *Famianus* Confeſſor, & S. *Franca* Abbatiſſa: de quibus dicam ſequentibus capitibus.

S. Hed-

S. *Hedvvigis*, vxor Henrici Barbati, Principis Silesiæ & Poloniæ, obijt anno 1243. à Clemente IV. Diuis anno 1267. adscripta, & in Martyrologium Rom. 15. Octob. relata. Arnoldus VVionus lib. 3. Ligni Vitæ, dicit eam fuisse Ord. Cisterciensis. Ceterùm Sanctæ Hedvvigis, ex sorore Gertrude, neptis fuit sancta Elizabetha Lantgrauia: vt Lipsius tradit cap. 2. de Diua Hallensi.

S. *Galganus* Eremita à quibusdam adiungitur, qui circa annum 1186. in Domino obdormiuit, in eremo diœcesis Volaterranæ. Quo loco nunc insignis visitur Abbatia: vt tradit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, ex eius vita Senis anno 1572. edita. Vide Martyrologium Rom. 3. Decemb. & VVionum in Ligno Vitæ, lib. 3.

B. *Christianus* Episcopus & Confessor: de quo Arnoldus VVionus 18. Martij.

B. *Hugo* Abbas Bonæ Vallis; de quo idem 1. Aprilis.

B. *Bertholdus* Episcopus & Martyr anno 1180. Apostolus Liuoniæ: de quo idem 21. Octob.

B. *Bernardus* Eremita quiescit in monasterio ordinis Cisterciensis, in monte sancti Bernardi, ab eo sic dicto, in Alpibus: teste VViono 16. Maij.

B. *Daniel* Abbas Venetus obijt 1132. teste eodem 21. Iulij.

Hos quinque VVionus libro citato, in suo

ſuo Martyrologio, Sanctos vocat.

B. *Bertrandus*, Abbas Grandis Siluæ: de quo Molanus ad Vſuardum.

B. *Hugo*, Abbas & fundator monaſterij B. Mariæ in Nucaria apud Siculos: de quo Caietanus lib. de Sanctis Siciliæ.

B. *Ioannes de Monte mirabili*, monachus in Longo Prato.

B. Richardus, in Friſia & diœceſi Groningenſi: de quo Molanus in Natalibus.

B. *Hildegundis* virgo obijt anno 1183. 20. Aprilis: teſte Trithemio in Chron. Hirſaugienſi.

De ſancto Famiano Confeſſore, Gallæcij patrono.

FAMIANVS, antea Quuardus, Coloniæ Agrippinæ Gothſcalco patre, matre Guimera natus, adoleſcens officia pietatis colere cœpit, ſuiſque facultatibus in pauperum vſus erogatis, relicta patria, Romam venit, vt loca ſancta viſitaret. Per Italiam ſexennio peregrinatus, lociſque præcipuis deuotionis inuiſis, in Hiſpaniam Compoſtellam ad ſancti Iacobi Apoſtoli corpus venerandum contendit. Inde Syriam profectus, ſepulchrum Domini noſtri IESV CHRI-

STI,

sti, aliaque Palæſtinæ loca ſummo deuotionis affectu perluſtrauit. Factus deinde Ciſtercienſis Eremita, in Gallæcia triennium in aſſidua carnis maceratione permanſit, & in monaſterio SS. Coſmæ & Damiani annis quinque & viginti vitam herbis, pane, & aqua tranſegit, donec factus monachus eiuſdem ordinis profeſſus, paulò poſt ſancti Bernardi Abbatis obitum, ſacerdos ordinatus eſt. Nec multò pòſt de ſuperiorum licentia, Romam iterum veniens, Eugenio III. Pontifici Maximo, Gallęcij ſubſtitit, fontemque æſtate, primo aduentu ſuo, ex ſilice virga percuſſo, mirabiliter eduxit, qui in hodiernum vſque diem perſeuerans febricitantibus prodeſſe ſolet. Gallęcij vix viginti quinque dies commoratus, in morbum incidit, ex quo cum ſibi decedendum eſſe intelligeret, loco, vbi humari vellet, indicato, obdormiuit ſexto Idus Auguſti, anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo, ætatis verò 1150.
ſexageſimo. Quem miraculis clarum Hadrianus Quartus Pontifex Maximus, quadriennio pòſt in Sanctorum numerum retuliſſe fertur. Extat Eccleſia Gallæcij eius nomini dicata, cui eædem Indulgentiæ, quæ S. Mariæ Angelorum apud Aſſiſium à ſummis Pontificibus conceſſæ dicuntur; eò quotannis innumeris ad diem feſtum, ex finitimis popu-

populis, confluentibus. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

De S. Franca Virgine, & Abbatissa Placentina.

FRancha siue Franca virgo Placētiæ ex Vidalta familia nobili nata, cùm vix septimū ætatis annum attingeret, vt sibi inter sacras virgines vitam ducere liceret, parentes orat. Ingressa igitur cœnobium S. Syrij, Ordinis S. Benedicti, miros vitæ spiritualis in ieiunijs, orationibus, vigilijs, in perferendis iniurijs progressus facere cœpit: cuius sanctitatem Deus miraculo comprobauit. Nam cùm sacrum capiti velamen imponeret Episcopus, angelus alio eiusdem caput tegere visus est. Mortuæ Abbatissæ subrogata (licèt inuita) munus diligentissimè expleuit. Carentiæ virgini nobili Placentinæ, quæ monialis fieri volebat, vt nouum virginum monasterium exstrueret (erat enim locuples) persuasit. Cui illa habitum Cisterciensium induta à superioribus præesse iubetur. Erat in oratione frequens & sæpè pernoctans: cui aliquando clausum oratorium noctu vltro apertum est. Multas à monialibus molestias, & à diabolo tentationes perpessa est, quas omnes patientia & oratione superauit. Cūm pro cognato, quem vnicè diligebat, feruentiùs oraret, is illi visus se damnatum dixit. Ferunt

runt duo vini dolia exſiccata, illa præcipiente vinum haurire, plena diuinitus eſſe reperta. Denique multis meritis cumulata, ſacro ſumpto viatico, VII. Kalendas Maij anno milleſimo ducenteſimo decimo octauo, quieuit in Domino. Corpus ibidem ſepultum hodie in ſacra æde, eius nomini dicata, aſſeruatur. *Ita Philippus Ferrarius lib. de Sanctis Italiæ, ex Breuiario Ciſtertienſi, & Officio proprio Eccleſiæ Placentinæ.* 1218. 25. Apri.

Poſt obitum pluribus coruſcauit miraculis. Nam Mediolanenſi feminæ lumen oculorum ad eius tumulum oranti reſtitutum eſt: & latro inter furandum oculis captus, poſtea pœnitens, ſanctæ Abbatiſſæ interceſſione viſum recuperauit. Plures & à dæmonibus obſeſſi, & varijs morbis laborantes liberati ſunt, vt eius habent Acta. *Sic idem Ferrarius lib. citato*, qui tradit ipſam coli Officio Eccleſiaſtico, ex indulto ſedis Apoſtolicæ.

CAPVT IX.

Ordo Vallis Caulium, in Francia, ſub reformatione Ciſtercienſi.

SVnt alij fratres in Epiſcopatu Lingonenſi, monachi Deo amabiles, & valdè religioſi, qui

qui de *Valle Caulium* nominantur. Hi Cisterciensis ordinis instituta victu, & vestitu, & diuinis officijs, & in omnibus alijs districtè & diligenter obseruant, excepto quòd cellulas modicas, causa maioris tranquillitatis, & pacis, sibi construxerunt, vt in eis tempore meditationis, lectionis, orationis, tantò deuotiùs, quantò secretiùs clauso sensualitatis ostio, intra cubiculum suum soli Deo vacare queant. Adeò autem ab omni exterioris curæ præputio corda sua circumcidere studuerunt, vt nec greges, nec armenta, nec terras arabiles, nec alias habeat possessiones, nec temporalibus occupati sollicitudinibus, & curis huius seculi ab intentione spiritualium retardentur. Præfixerunt autẽ extra septa monasterij sui terminos, quos non licet eis euagando præterire. Solus autem Prior, cum aliquo de fratribus suis; vt subiecta sibi visitet monasteria, vel alia necessaria de causa potest exire: reliquis simplicibus fratribus in domo, velut Iacob, com-
Gen.25. morantibus. Habent autem infra terminos suos, hortos olerum & arborum, ad quos excolendos certis & constitutis horis egrediuntur, vt manducent labores manuum suarum. Sed & certos possident reditus, quos absque magno labore ad vsus necessarios annuatim recipiunt. Ne autem aliqua egestatis molestia spiritus à cursu suo retardetur, vel necessitate cogente oporteat ipsos mendica-

re,

re, aut manibus alienis inhiare, non plures in congregatione sua recipiunt, quàm de reditibus suis mediocriter valeant procurare. Et quoniam scriptum est, nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs, quàm prudenter & prouidè prædicti Vallis Caulium monachi consuluerunt saluti animæ suæ, vt liberè possent diuinorum contemplationi vacare, norunt meliùs per experientiam illi, qui ad exteriorum venationem frequenter exeuntes, amiserunt benedictionem cum Esau: sic stulti, vt cum spiritu ceperant, carne non solùm consummentur, sed insuper consumantur: qui negotiationem & quæstum, pietatem æstimantes, dum monasteria possessionibus ampliare modis omnibus satagunt, non sapienter illud Euangelicum attendunt: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Exiuit *Semei* de Hierusalem per cupiditatem, & à Salomone interfectus est. Exiuit *Dina filia Iacob* per curiositatem de domo patris sui, & à Sichen iuuene impudico corrupta est. Exiuit *filius prodigus* per luxuriam, & portionem substantiæ suæ luxuriosè consumens, siliquis porcorum, quos pascebat, saturari non valebat. Prædicti autem fratres circumspecti, & prudentes infra terminos suos cautè recluduntur, ne vento strepitus sæcularis lucerna eorum extinguatur, omnem à se murmuris occasionem, & ambi-

2. Tim. 2.
Gen. 27.
Gal. 3.
Tim. 6.
Matt. 16.
3. Reg. 2.
Gen. 34.
Luc. 15.

tionis materiam reſcindentes, dum alter alteri non inuidet, nec alium ſe contempto ſibi in temporalium adminiſtratione præpoſitum dolet.

Ita Iacobus Vitriacus cap. 17. Hiſtoriæ Occidentalis. De eodem Ordine conſulendus & Choppinus in Monaſticis lib. 2. tit. 2. §. 20.

CAPVT X.

Ordo fontis Ebraldi, in Gallia, per Robertum Bleſælium Pariſienſem anno 1117. inſtitutus.

ANno Chriſti 1117. mortuus aſſeritur vir inſignis *Robertus*, auctor monaſterij fontis Ebraldi. Qui enim eduxit populum ſuum de AEgypto, & deduxit per deſertum in adinuentionibus ſuis: idem ducens populum Chriſtianum per deſerta loca ſæculi huius, ad terram felicioris promiſſionis, ipſum regnum cœlorum, nouam in Gallia Religioſorum inſtituit viuendi formam, per ſeruum ſuum *Robertum Pariſienſem*, in monaſterio, quod erexit, dictum *Fontis Ebraldi*, in quo etiã viri Abbatiſſæ parerent. Hæc vt accipias, præſciendum, quòd monaſterium fontis Ebraldi nomen duxit à fonte loci, in quo ſitum eſt. Ferunt enim *Ebraldum* quẽdam iuuenem, genere nobilem, ſed moribus corruptis, magna ſicariorum manu ſtipatum, adiacẽtes vias regias latrocinijs olim infeſtaſſe, ſiluaſq; tunc

tem-

temporis frequẽtes insedisse, quarum hodieq; reliquiæ manent non paruæ. Post hæc Theologum quendam Parisiensem, eximiæ doctrinæ virum diuinique verbi concionatorem insignem, *Robertum de Abruscellis* nomine, eò aduentasse, sanctisq; exhortationibus suis nõ modò iuuenem illũ, vt mores vitamq; mutaret, impulisse, sed multos præterea omnium generum homines, ad despiciendã sæculi vanitatẽ austeriorisq; vitę leges subeundas, permouisse, ad quorũ habitationẽ distincta ijsdẽ in septis monasteria cõdidit, sua seorsim viris, virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis ædificãdo: Vniuersæ porrò Congregationi Abbatissam præposuisse, quę in oẽs tum viros, tũ fœminas ius summũ obtineret, statuẽs vt viri S. Ioannis Euangelistæ exemplo, virginibus seu mulieribus parerẽt, & hæ vicissim B. Virginis exemplũ sequentes, religiosos tanquã filios amplecterẽtur. Statuta deniq; & Cõstitutiones pro vtrisq; separatim perscripsit.

Cùm ergo ad hũc modũ rectè institutũ fuisset monasteriũ fõtis Ebraldi, Reges & Principes, ceteriq; Dynastæ, magnâ mox veneratione illud prosequi, & diuersa ei bona largiri cœperũt: nõnulli etiam huius cõgregationis Cõuentus in suis terris expetierunt; ita vt ex omnibus illis Cõuentibus cõstitutus fuerit Ordo, cuius caput esset idẽ monasteriũ Fontis Ebraldi: quẽ quidem authenticis bullis multi Pontifices approbarunt, docentes Ordinem

hunc ab illis verbis Christi: *Ecce filius tuus, Ecce mater tua*, institutionis suæ originem rationemque petijsse.

Mortuum tradunt Robertum regulæ au-
1117. ctorem, anno millesimo centesimo decimo septimo, & sancto Bernardo familiarem fuisse. Statuisse autem, vt cùm Abbatissa, quam crearat, diem suum clauderet, ea illi succederet, quam Religiosæ ipsæ suis suffragijs elegissent. Quod ab illis semper obseruatum est, quamdiu electionum vsus in monasterijs permansit. Ceterùm & quamdiu stetit eligendi potestas, & postquam auctoritate Pontificis constitui Abbatissæ cœperunt, optimas semper easque memorabiles Abbatissas sortitæ sunt, vitæ integritate ac sanctitate, quàm genere illustriores: tametsi pleræque Regum & Principum, aut nobilissimo um certè Equitum filiæ fuerint. Inter quas eluxerunt *Mathildis* Comitis Andegauensium filia, Guilielmi vidua, Henrici Primi Anglorum Regis filia; *Mathildis* altera, filia Theodorici Comitis Flandriæ, vidua item Ducis Burgundiæ; *Aloysia*, Ludouici iunioris Francorum Regis filia; *Ioanna de Brenna*, neptis Roberti filij Ludouici Crassi Francorum Regis; *Elisabetha* soror Philippi Valesij Regis; *Maria de Britannia*, Aurelianensis & Britanniæ Ducum neptis; *Anna Aurelianensis*, Ludouici XII. Regis soror;

Re-

Renata Borbonia, filia Ioannis Comitis Vindocinensis; *Ludouica Borbonia*, soror primi Ducis Vindocinensis, & *Eleonora Borbonia*, eiusdem Ducis & Franciscæ Alenzoniæ filia, amita Henrici quarti Christianissimi Regis Francorum & Nauarræ: quæ monasterium, in quo ducentæ præter cæteros Religiosis Deo dicatæ moniales numerantur, ordinemque vniuersum moderatur, magna pietatis, prudentię sanctitatisque apud omnes opinione.

Obseruandum est, Mariæ Britanniæ Abbatissæ temporibus, ipsa procurante, factam fuisse Ordinis reformationem iuxta Regulã S. Benedicti, & statuta Roberti institutoris; Xysti IV. Pontificis Maximi auctoritate, qui Archiepiscopos Lugdunensem & Bituricensem delegauit, ad eandem reformationem exequendam, quæ nunc etiam in fontis Ebraldi monasterio, Prioratibusque circiter sexaginta, qui ab illo pendent, studiosè obseruatur. Exstat epistola D. Bernardi ad Episcopum Andegauensem, de querela inter ipsum & Abbatissam Fontis Euerardi: vbi legendum *Ebraldi*. De hoc enim loquitur monasterio, quod in diœcesi quidem Pictauiensi positum est, sed contiguos cum Andegauensi fines habet.

Sed & Petrus Venerabilis, Cluniacensis Abbas, eiusdem Roberti meminit magno præconio, vtpotè qui fuerit institutor matris

ſuę Raingardæ in vita ſpirituali, quæ viro defuncto profeſſa eſt monaſticam regulam in Marciniacenſi monaſterio. Cuius res præclarè geſtas poſt eius obitum ipſe epitaphio eſt proſecutus, vbi pariter corruptè legitur, monaſterium ad fontem Ebrandi, loco *Ebraldi.* Meminit & ibidem de eiuſdem Roberti ex hac vita deceſſu. *Ita Baronius tomo XII. Annalium.*

Cæterum fons Ebraldi tertio lapide diſtat à Saumurio opido. Complectitur autem hoc monaſterium, itemque ordo monachos & moniales ſub regula S. Benedicti militantes, ſed diſtinctis in clauſtris habitantes.

In fonte Ebraldi, intra vnius velut opidi ambitum, ſunt quatuor monaſteria, tria monialium, quæ ſunt circiter ducentæ, & vnum monachorum, qui ſunt circiter quadraginta, & ſuum habent Priorem. Abbatiſſa autem, quę omnibus imperat, fere ſolet eſſe ex ſanguine regio.

Huius ordinis monaſteria in vniuerſum ſunt circiter ſexaginta : ex quibus nonnulla hodieque florent in Hiſpania, & nonnulla etiam in Anglia viguerunt. Altare maius cœnobij monachorũ fõtis Ebraldi ſitũ eſt in cõfinibus diœceſis Pictauiẽſis, Turonẽſis & Andegauẽſis. Hæc à R. P. Guilielmo Richerio, Abbate S. Vincẽtij Cenomanẽſis fõtis Ebraldi olim Viſitatore, an. milleſimo ſexcẽteſimo decimo ſeptimo accepimus.

CA-

CAPVT XI.

Ordo Humiliatorum, per sanctum Ioannem Medam institutus.

ORdo Humiliatorũ sub regula S. Benedicti cœpit circa annum millesimum centesimum nonagesimum sextum. Henricus I. ad Imperij fastigium euectus, graue bellum Mediolanensibus intulit, & vrbe solo æquata, Senatorij ordinis ciues, & nobilissimos quosque viros in Germaniã ablegauit. Porrò exules albis induti vestibus, sæpiùs Cæsarem genuflexo supplices rogauerunt, vt in patriam redeundi liberam ipsis facultatem concederet: quod cùm demum impetrassent, nobilissimi viri plurimi eodem amictu vestiti sũma pietate accensi, Deo Mediolani sese votis obligarũt; nec vllam rem publicam aut priuatam attingentes, vni religioni diligenter studentes, & victum suis manibus quærentes, vitam sanctè & religiosè traduxerunt. Horum Congregationẽ, nomine Humiliatorũ Innocent. III. auctoritate Apostolica an. 1200. cõfirmauit. Sed totũ ordinem Pius V. deleuit, & annuos eius prouẽtus in alios vsus destinauit. Nã quidã eius ordinis monachi, cõiurati in S. *Caroli* Borromęi Cardinalis, & Archiep. Mediolanẽsis necẽ, ob nefariũ scel⁹ cõdẽnati sũt, & an. millesimo quingẽtesimo septuagesimo,

1196. 1570.

auctoritate Pontificia, exstinctus est ordo, cuius Praepositurae erant nonaginta quatuor, quarum annui prouentus triginta millium aureorum summam efficiebant. Porrò in toto ordine monachi erant centum septuaginta quatuor, quos ex ipsis facultatibus, distributis in victum monasticum, sustentari Pontifex iussit, & in religiosa disciplina Episcoporum cura contineri.

Locum porro, in quo sanctus Ioannes vixit apud Comum, post exstinctum ordinem Humiliatorum, Clerici Somaschenses hodie tenent: vt tradit Ferrarius in Catalogo SS. Italiae. Vocatur is, nisi fallor, *Rondinetum*, primaria olim Ordinis sedes, in dioecesi Comensi. De Somaschensibus vide infrà lib. 4.

CAPVT XII.

Iacobi Vitriaci, Cardinalis & Episcopi Aconensis, testimonium de ordine Humiliatorum.

SVNT quaedam in Italia, & maximè in partibus Lombardiae, virorum & mulierum regulariter viuentium congregationes, quos *Humiliatos* appellant; eò quòd in paupertate & asperitate habitus, & gestus exterioris cõpositione, & morum grauitate, & in omnibus verbis & operibus suis magnum ostendant

dant humilitatis exemplum. Viuunt autem in communi, ex magna parte de labore manuum suarum. Non enim multos habent reditus vel possessiones, nec cuiquam illorum licet aliquid proprium possidere. Omnes horas canonicas diebus & noctibus laici sicut & clerici non prætermittunt: ferè enim omnes litterati sunt. Qui autem horas canonicas dicere nesciunt, sub certo numero dicentes orationem Dominicam, debita recõpensatione absoluuntur. Sunt autem per omnes ferè ciuitates, in partibus illis, huius religionis conuentus, quorum multi carnes, nisi in graui ægritudine, non manducant, nec camisijs, aut linteaminibus vel plumis vtuntur. Lectionibus autem & orationibus & laboribus manuum assiduè vacantes, desidiam & otij torporem à se studiosè repellunt. Conuersæ autem eorum ab hominibus huius religionis adeò seiunctæ sunt, & cum omni cautela & diligentia seorsum inhabitant, vt neque in Ecclesia, neque in alio loco, sese mutuo, nisi rarò, possint alloqui, vel videre.

Quando etiam ad prædicationem diuini verbi conueniunt, muro interposito à se inuicem plerumque separantur. Fratres autem eorum tam clerici, quàm laici litterati, à summo Pontifice, qui regulam eorum & canonica instituta confirmauit, auctoritatem habent prædicandi non solùm in sua congregatione, sed in plateis & ciuitatibus, in Ec-

clesijs

clesijs sæcularibus, requisito tamen consensu eorum, qui præsunt locis illis, Prælatorum. Ex quo factum, quòd multos nobiles, & potentes ciues, matronas etiam & virgines prędicatione sua ad Dominum conuerterint. Quorũ quidam seculo penitùs renuntiantes, ad eorum religionem transierunt; alij autem in sæculo corporaliter remanentes, licèt cum filijs & vxoribus remanserint, humiliati, & à mundi negotiationibus abstracti, in habitu religioso, & sobrietate victus, & operibus misericordiæ permanentes, *vtuntur hoc sæculo*, secundùm Apostoli consilium, *velut non vtentes*. Sed & sacerdotes & clerici, fallacibus huius sæculi renuntiantes delicijs, assumpto paupertatis habitu regulari, prædictis Humiliatis sociantur. Ipsi enim in fine prædicationis suæ, dum adhuc audientium corda virtute diuini sermonis feruentia proniora sunt ad mundi contemptum, & ad Creatoris sui seruitium, solēt à circumstantibus quærere, si qui sint, qui ad eorum religionem diuinitus inspirati velint transire. Multis autem in illa ebrietate & spiritus feruore ad ipsos transeuntibus, paruo tempore multiplicati sunt valdè; multos in diuersis ciuitatibus ex fratribus suis & sororibus conuentus procreantes. Adeò autem formidabiles hæreticis, quos *Patrinos* appellant, effecti sunt, & ita potenter & apertè fraudes eorum detegendo, impios & incredulos ex diuinis Scripturis pru-

Patrini hæretici.

prudenter conuincunt, & publicè confundunt, quòd iam coram ipsis non audent comparere, multique ex ipsis errorem suum cognoscentes, ad Christi fidem reuersi, ipsis fratribus coniuncti sunt, & ita facti sunt discipuli veritatis, qui fuerant magistri erroris. Hi autem acriùs inter omnes notas sibi vulpeculas capientes, & cognitis sibi obuiantes erroribus, proprio gladio, more Dauid, collum abscindunt Goliæ, & tanquam fortis mulier Iudith caput obtruncant Holoferni, & incidit inimicus in foueam, quam fecit. *Hactenus Vitriacus.*

CAPVT XIII.

Ordo Gilbertinorum, in Anglia.

GIlbertinorum Ordo, vtriusque sexus, in Anglia, per Beatum *Gilbertum Sempingamum*, natione Anglum, in Episcopatu Lincolniensi anno 1148. est institutus, & ab Eugenio III. approbatus. De quo vide Guil. Neubrigensem lib. 1. cap. 16. & VVionum in Ligno vitæ lib. 3. die 4. Februarij.

CA-

CAPVT XIV.

Ordo Montis Virginis, per S. Guilielmum Vercellensem institutus.

GVilielmus Vercellis natus honesto loco, orbatus parentibus, annum 14. agens, relicto sæculo, vitam solitariam aggreditur, ac ferro interiùs accinctus, vnica & humili veste indutus, solo pane & aqua contentus, humi cubans, cùm aliquandiu peregrinatus loca sancta celebriora visitasset, Melphim in Apuliam peruenit: vbi litteras breui diuinitus ita didicit, vt in veteri & noua lege versatissimus videretur. Melphi in proximum opidum recedens iuxta mõtem Solicolũ cæco lumen restituit. Quo miraculo vt nominis celebritatem vitaret, se ad peregrinationẽ Hierosolymitanam accingit. Cùm in Salẽtinos apud Vriam venisset, à *Ioanne* eremita, vt secum habitaret, summopere rogatus, cũ acquiescere nollet, à latronibus malè habitus; ad illum redire cogitur. Inde diuino admonitu Atripaltam, deinde Salernum venit: vbi à milite loricam ferream, qua super carne nuda indutus est, impetrauit, vt aduersus carnis & Dæmonis tentationes munitior esset, sicque ad montem Virginis perrexit, vbi eremitam inuenit nomine *Ioannem*, cum quo degens,

degens, cùm aquæ inopiâ laborarent, fontem è ſaxo manantem diuinitus reperit. Ibi oratorio, & tuguriolis exſtructis, ordinis ſui fũdamenta iecit, alumnis in dies ad eum confluentibus, & templi aggreſſus eſt ædificationem, brachio, quod obriguerat, vni ex ædificatoribus reſtituto. vbi mirum aliud contigit. Habebat aſellum ex proximo nemore quotidie ligna ferentem: quem cùm lupus deuoraſſet, is Guilielmi præceptis parens officium aſelli non ſine maxima omnium admiratione compleuit. Exſtructo itaque monaſterio, illique ſub S. Benedicti regula *Alberto* Abbate præfecto, ad ſolitudinem apud Triſaricum, in monte cum Ioanne eremita redijt: vbi à *Roberto Guiſcardo*, Apuliæ Comite inuiſitur, cuius pœdagogus de Sancto Guilielmo oblocutus, diuinam protinus vltionem expertus eſt, cruribus ſibi putrefactis, ex quo morbo breui miſerè interijt. Quidam etiam pagi proximi venator, cùm baculo inter venandum Guilielmi caput verberaſſet, à dæmone repentè arreptus agitabatur, donec precibus ipſius Guilielmi, à domino eius pagi enixè rogati (qui poſtea in eo loco cœnobium conſtruxit) liberaretur. Inde per viſum admonitus, inter Nuſcum & fanum Angeli venit, ibique Eccleſia S Saluatori, cum ampliſſimo cœnobio, à domino loci exſtructa, *Anatum*, qui poſtea Nuſcanus Epiſcopus fuit, & *Ioannem*, ciues Nuſcanos, diſcipulos habuit.

præci-

præcipuos. Ibi puellam hortulani filiam cæcã ad lumẽ redire fecit, & apud Dinettũ castrum Apuliæ Peucetiæ, cùm monasterij exstructoribus vinum defecisset, in illud aquam cõuertit. Cũ ad virũ Dei *Rogerius* Siciliȩ Rex venisset, eũque maximo in honore haberet; meretrix impudentissima Guilielmum hypocritam asserens, Regi se illum sequenti nocte ad peccatum pertracturam pollicebatur. Ad Guilielmi itaque cellam veniens, ad libidinẽ illũ prouocabat; cui is assentiri simulans cellam aperuit, in qua carbones erant accensi. Cùm illa lectum peteret, vir sanctus carbones manibus in duo diuisit, cumque super vna eorum parte decubuisset, illam vt in altera cubaret, inuitauit. Quo miraculo cùm sanctum virum super accensis carbonibus iacentem haud cõburi cerneret, impudica mulier perterrita, cùm quod contigerat Regi narrasset, conuertitur, ac in monasterio Venusiæ à Rege ædificato vitam pȩnitens egit. Inde à Rege Panormum inuitatus, ibidem impensis Regis monasterium sui ordinis exstruxit. Reuersus ad cœnobium S. Saluatoris, finem sibi adesse prȩsentiens, pijs laboribus confectus, VII. Kal.
1124. Iulij anno post Christum natum 1142. ætatis verò 57. obdormiuit in Domino, Innocẽtio secundo Pontifice Maximo, multis etiam post mortem miraculis clarus. Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Paulo Regio, lib. de SS. Regni Neapolitani. Corpus porrò S. Guili-

Guilielmi adſeruatur in dicto S. Saluatoris cœnobio, apud Nuſcum Apuliæ vrbem, in quo diem obijt; Romano Martyrologio adſcriptus 25. Iunij. Vide Arn. VVionum lib. 1. Ligni vitæ cap. 51. & noſtram notitiam Abbatiarum vniuerſi orbis, in Diœceſi Nuſcana; itemque Felicem Rendam in vita S. Guilielmi.

Generalis Præfectus Ordinis eſt triennalis, & præeſt monaſterijs circiter quadraginta ſeptem.

CAPVT XV.

Ordo Eremitarum ſancti Guilielmi ſeu Guilielmitarum.

ORdinis huius caput, ac ſedes primaria olim fuit *Stabulum Rhodis*, quod eſt monaſterium apud Roſetum ſeu Groſſetum ditionis Senenſis opidum, loco olim deſerto ſitum: in quo eiuſdem Ordinis comitia ſeu capitula generalia quondam celebrari plerumque ſolebant. In dicto Stabulo Rhodis *S. Guilielmus*, Aquitaniæ Dux & Pictonum Comes, peractis varijs peregrinationibus ſacris, cùm ab hominum conſortio totum ſe ſubduxiſſet, ordinem ſuum Eremiticum fundauit; quem poſtea B. *Albertus* eius diſcipulus, & comes indiuiduus, quique in ſæculo (vt ſcribit Dochetus Aquitanorum Chronographus)

illi à secretis fuerat, & *Reinaldus* ex medico monachus, alijque mirificè propagarunt. Militasse autem hunc ordinem à multis retrò sæculis sub regula sancti Benedicti, ex variorum Pontificum, vt Innocentij IV. Alexandri IV. Vrbani IV. & aliorum diplomatibus probat Sampson Haius, Guilielmita Parisiensis, in suo libro de veritate vitæ & Ordinis sancti Guilielmi, Parisijs anno 1588. edito: quæ quidem diplomata mox subiungam.

Innocentij IV. diploma datum Lugduni anno 1248. in fauorem Guilielmitarum.

INnocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori Generali, cæterisque Prioribus & fratribus Eremitis ordinis S. Guilielmi, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum cōuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris istis supplicationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuinis vacatis officijs seu obsequijs, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuen-

tuentes, vt ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem fratrum Ordinis S. Guilielmi, in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Præterea quascumque possessiones, quæcunque bona, eædem domus in præsentiarum iustè & canonicè possident aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterūt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Loca ipsa, in quibus domus præfatæ sitæ sunt, cum pertinentijs suis, videlicet cum Ecclesijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus vsuagijs & pascuis, in busco & in plano, aquis & molendinis, vijs & semitis & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus suis, &c. Datum Lugduni III. Non. Sept. an. 1248.

Alexandri IV. Papæ diploma datum Anagniæ.

ALexander Episcopus, seruus seruorū Dei dilectis filijs, Generali & alijs Prioribus ac fratribus Ordinis S. Guilielmi, salutem & Apostolicam benedictionem. Licèt olim pro vnione facienda inter vos, & alios Eremitas, tunc Ordinum diuersorum, fueritis ad præsé-

tiam nostram citati: quieti tamen, & saluti vestræ paterno prouidentes affectu, præsentium vobis tenore concedimus, vt sub regula S. *Benedicti*, secundùm institutiones S. *Guilielmi*, remanere in solito habitu liberè valeatis; nullis obstantibus litteris, gratijs, vel priuilegijs, à sede Apostolica in contrarium impetratis, vel impetrandis in posterum. Nulli ergo, &c. Datum Anagniæ XI. Kal. Septemb. Pontificatus nostri anno secundo.

Vrbani IV. diploma datum apud Vrbem Veterem.

VRbanus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Generali, cæterisque Prioribus & fratribus ordinis S. Guilielmi, salutem & Apostolicam benedictionem. Præclara Ordinis vestri expetunt merita, vt in his, quę animarum fructum pariunt, & eundem Ordinem ab infamiæ macula reddunt tutum, Apostolicam sedem vobis inueniatis propitiam & benignam. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd licèt vos ordinis sancti Benedicti regulari obseruantiæ astricti sitis, nonnulli tamen ex vobis, assumpta audacia, quòd sub leuiori pugna de antiqui hostis versutijs faciliùs triumphabunt, humanæ fragilitatis seducti consilio, ad mitioris obseruantiam ordinis aspirantes, ad ordinem fra-

fratrum Eremitarum ordinis S. Augustini, proprio motu, se transferre præsumpserunt, in vestrum & Ordinis vestri dispendium, animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum. Quare super hoc præfatæ sedis prouidentiam suppliciter implorastis. Nos igitur pijs vestris supplicationibus annuentes, ne quis postquam in ordine vestro votum professionis emiserit, ad præfatum ordinem Eremitarum, absque prædictæ sedis licentia speciali, se transferre valeat, auctoritate præsentium inhibemus; decernentes irritum & inane, quicquid contra tenorem præsentium ab aliquo contigerit attentari. Nulli, &c. Datum apud Vrbem veterem, X. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Guilielmitæ non possunt transire ad Eremitas Augustinianos sine licētia Papæ.

Guilielmitæ itaque in Francia ac Belgio viuentes iuxta præscriptum regulæ S. Benedicti, etiamnum festis diebus duodecim Lectiones in Nocturnis horis recitant, cùm Augustiniani non nisi nouem legant. Colunt insuper S. Benedictum, vt regulæ suæ conditorem, cuius statuam memini me Parisijs apud Guilielmitas in summo altari collocatam videre, cùm anno 1610. ea in vrbe versarer. Quod nota contra Raph. Volaterranum, Iac. Bergomensem, Onuphrium, Iosephum Pamphilum, Morisium, & alios, qui Guilielmitas regulæ Augustinianæ subijciunt.

CAPVT XVI.

Vita ſancti Guilielmi, Aquitaniæ Ducis, annorum ſerie distincta, per Aub. Miræum.

S. Guilielmus patrem habuit Guilielmum Gaufredum, Ducem Aquitaniæ & Comitem Pictauienſem, qui Monaſterium Nouum (hoc enim nomen eſt cœnobio) ordinis Benedictini apud Pictauium fundauit ac dotauit: cuius ibidem hodieque marmoreus tumulus ſpectatur. Ita tradunt Bochetus & Haius, Aquitanorum Chronographi.

De matris nomine certo non conſtat, eò quòd Gaufredus plures habuerit vxores. Suſpicor eam fuiſſe *Ioannam*, Toloſani Comitis filiam vnicã & hæredem: vt ex Roberto Abbate Montis Naualis colligi datur, cui aſſentitur Tyrius.

Anno Chriſti 1102. iuxta Othonem Friſingenſem, Guilielmus rei militaris peritiſſimus, cum centum ampliùs armatorum millibus in Aſiam ac Terram ſanctam traiecit: vt tradunt Guil. Tyrius, Conradus Abbas Vrſpergenſis, & Fulcherius Carnotenſis, qui ad annum præcedentem id refert.

Anno 1130. aut ſequenti, cùm Guilielmus ſtaret

ſtaret pro Anacleto Antipapa contra Innocentium II. Papam, venit ad ipſum S. Bernardus Abbas Clarevallenſis, vt ad communionem Eccleſiæ Catholicæ reduceret errantem: vt fusè tradit Baronius tomo XII. Annalium, ex vita Sancti Bernardi, per Bernardum Abbatem Bonæ Vallis conſcripta.

Ceterum qui Bernardi Abbatis Boneuallenſis verba exactiùs diſcuſſerit, S. Bernardum Clareuallenſem, & Ioslenum Sueſſionenſem Epiſcopum (quibus comes erat Petrus Cluniacenſis, vt ex quadam eius epiſtola diſcere licet) ad Guilielmum Aquitanum & Gerardũ Engoliſmenſem Epiſcopum acerrimos ſchiſmatis propugnatores ab Innocentio adhuc in Gallijs agente tranſmiſſos fuiſſe, nec quidquã profeciſſe, facilè animaduertet. Ex eodem quoque auctore conſtat, S. Bernardum cùm ex Italia, quò Innocentium Papam comitatus fuerat, in Galliam redijſſet, Guilielmum in ſchiſmate obſtinatum ſacris demum monitis ad Eccleſiæ communionem reduxiſſe. Quod quidem à Theobaldo, vitæ S. Gulielmi ſcriptore, non fuiſſe animaduerſum valdè miror: niſi hic locus apud eum ſit corruptus, vt apparet.

Guilielmus autem poſtea in Vulgrinum Engoliſmenſem Comitem, cui à Secto ferro cognomen erat, & in Pontij Dominum

arma mouit. Sed Principes ad prœlium paratos Lambertus Engolismensis Episcopus (qui Gerardo miserâ morte exstincto successerat) ad pacem sua oratione adduxit: vt auctor est Corlæus.

Anno 1137. Guilielmus B. Bernardi monitis ad communionem Ecclesiæ reuersus, Compostellam in Hispaniam se confert, ad S. Iacobi corpus visitandum. Vbi morbum mortemque simulans, nocte media, ac veste dissimulata, à suis se subduxit, ac fugit, fidelissimis ministris tribus tantummodo conscijs.

Famosam Guilielmi mortem, licèt fictam, Ludouico Crasso seu Molli nuntiatam fuisse Bestisiaci, tradit Suggerius Abbas sancti Dionysij.

Anno eodem aut 1138. Guilielmus, monitu cuiusdam Eremitæ, venit ad Innocentium II. Papam, absolui petens à vinculo excommunicationis.

Ab eodem Pontifice mittitur Hierosolymam: vbi annos vndecim, non tamen continuos egit, primò quidem annos nouem sub Guilielmo Patriarcha, postea verò duos sub Fulchero.

Varijs peregrinationibus pijs confectis, demum concedit S. Guilielmus in Stabulo Rhodis, in diœcesi Grossetana, anno 1155.

Sesqui anno ibidem transacto, eodem loco in Domino obdormit, anno Christi 1157.

anni

anni exordio à Kalendis Ianuarijs, iuxta calculum Romanum, ducto. Theobaldus, qui annum à Paschate, iuxta morem Ecclesiæ Gallicanæ orditur, ad annum 1156 eius obitum refert: quod visum est monere, ne quis labi nos suspicetur.

S. Guilielmo duæ fuerunt filiæ, Eleonora & Petronella. Ex ijs Eleonora natu maior nupsit primùm Ludouico Molli Galliæ Regi, postea Henrico II. Angliæ Regi: cui filiam inter alias peperit sibi cognominem, Alfonsi Castellæ Regis vxorem: ex qua Blanca S. Ludouici Galliæ Regis futura mater prognata est.

Itaque S. Guilielmo abnepos fuit S. Ludouicus Rex; quod nota contra Iosephum Pamphilum, qui in Chronico Eremitarum Augustinianorum, per errorem dicit ipsum sub sancto Ludouico militasse, & an. 1178. obijsse.

Ceterum S. Guilielmi vitam duo ex veteribus scripserunt, *Albertus* eius discipulus, & *Theobaldus* Episcopus Grossetanus: sed vtriusque scripta in compendium redacta, & cuiuspiam indocti hominis manu vitiata suspicatur Sampson Haius, in libro, quem de veritate vitæ & Ordinis sancti Guilielmi scripsit, & Parisijs an. 1588. publicauit.

Labitur autem Compilator Lectionum, quas Eremitæ Augustiniani in Officio Ecclesiastico recitant, cùm S. Guilielmi patrem

nominat Theodosium Consulē, matrē verò Aldatiam; deceptus, nisi fallor, lectione Petri de Natalibus, qui in catalogo Sanctorum, nescio quem alium S. Guilielmum de Desertis, Aquitaniæ pariter Ducem, Carolo Magno, eiusque filio Ludouico Pio familiarem facit, Theodosio & Aldatia genitum.

Ordinis item sui nimio amore abrepti videntur fuisse, Iacobus Bergomensis, Onuphrius Panuinius, & cū ijs Iacobus Bergomēsis, & alij qui ordinem Guilielmitarum regulæ Augustinianæ subijciunt, cùm Benedictinæ illum esse subiectum constet ex variorum Pontificum diplomatibus suprà commemoratis.

CAPVT XVII.

Catalogus monasteriorum Ord. S. Guilielmi per Prouinciam Franciæ seu Galliæ Belgicæ, quem Beuerensi in Monasterio exscripsimus.

P*Orta cœli*, extra Siluam-ducis inchoata est an. 1245. aut circiter. Hodie monachi intra vrbem habitant, & vulgo Baselduncani nuncupantur.

Domus de VVasina iuxta *Bierrleit* inchoa-

ta anno 1249. quæ pòst submersa cũ pluri-mis pagis an. 1376. translata est Brugas 1430. & *Vallis S. Antonij* dicta. Fundatrix in Bier-vliet fuit Margarita Flandriæ Comitissa.

Domus de *Barnaphaij*, in Arduenna silua, inchoata an. 1249.

Domus *Fratrum Mariæ* dicta, anno eodem 1249. inchoata.

Domus Paradisi iuxta Duram, ditionis Iu-liacensis opidum, inchoata anno eodem 1249.

Domus de *VVallencuria* inchoata an. 1255. in Comitatu Namurcensi.

Domus de *Noua terra* an. 1291. inchoata, pòst bellis destructa, in Oudzeele translata est an. 1457. deinde in Peere an. 1498. & intitu-latur *Nazareth*.

Domus *Montis Rubei* extra Parisios fun-data anno 1266. pòst translata est Parisios 1297. in locũ Alborum, vt vocant, mantello-rum.

Domus *S. Vrsmari* extra Alosum Flandriæ opidũ inchoata 1268. postea per bella destru-cta, in opidum translata est an. 1380.

Domus *S. Catharinæ*, extra Niuellam Bra-bantiæ opidum, inchoata an. 1270.

Domus *de Hubergis*, iuxta Bergas ad Zo-mam in Brabantia, inchoata an. 1277.

Domus *de Motta* extra Leodium, inchoata 1280.

Domus *Paludis Comitis* inchoata 1281.

Domus

Domus SS. *Trinitatis*, in Beueris VVasianæ ditionis municipio, secundo ab Antuerpia milliari, inchoata anno 1459. Hactenus ex Catalogo Beuerensi

Habuerunt olim Guilielmitæ varia quoque monasteria per Germaniam, vt Argentorati, & in diœcesi Constantiensi, Spirensi, & alijs.

De Baselduncano apud Siluiducenses monasterio in Brabantia.

GVilielmitas suos vulgus Siluiducense nũcupat *Baselduncanos*, à præd o suburbano, in quo monasterium eorum primùm stetit. Quod cum bello Geldrogallico, temporibus Martini Rossemij, vastatum esset, inde ad vrbem ipsam commigrarunt, in qua spatiosum hodie cœnobium possident.

Parisiense monasterium.

FVit id olim cœnobium ordinis Seruorum B. Mariæ, qui sub regula S. Augustini militantes ex diœcesi Massiliensi Lutetiam venerant, & eo loci anno 12;8. capellam cum cœmiterio exstruxerant. Ordine isto abrogato in Synodo Lugdunensi, quæ sub Gregorio X. est habita, dictum Seruitarum cœnobium à Bonifacio VIII. anno 1297. datum est

est Guilielmitis, qui ex Monte Rubeo, Parisiorum nunc vico, sedem eò mox transtulerunt, Philippo Pulchro Rege Galliæ approbante anno 1298. vt tradit Sampson Haius libro citato. Monasterio nomen mansit Alborum Mantellorum, à Seruitis, illius olim loci incolis, qui albis penulis vti solebant. In monte Rubeo hodieque exstat sepulcrum Renerij, qui cùm esset Prior Generalis Guilielmitarum, hanc nouam in vrbe Parisiensi sedem procurauit, & anno 1298. obijt.

Brugense monasterium, cui nomen Vallis S. Antonij.

STetit hoc monasterium primò in VVastina, apud Biervlitum Flādriæ opidum: quod cùm fluctus Oceani anno 1376. aut 1377. obruissent, VVastinenses religiosi tandem Brugensi in vrbe locum ædificando monasterio obtinuerunt. De huius monasterij origine, ac translatione ita scriptum in codice quodam reperi: *Anno Domini* CIↃ. CC. XLII. *conuentus de VVastina inter Biervliet & Bochoute fundatus & dotatus est per Margaritam Comitissam Flandriæ.* *Catalogus Beuerensis habet anno 1249.*

Idem conuentus submergitur cum XVII. *parochijs anno 1377.*

Anno 1429. à Georgio Gremme, ciue Brugensi locus Brugensis domus donatur, & anno sequenti

Capella

Capella vetus cum quattuor altaribus consecratur dedicaturque.

Alostanum S. Vrsmari monasterium, in Flandria.

SAnctum Vrsmarum Episcopum & Abbatem Laubiensem, Aldenburgi & vicino in tractu Flandriæ Euangelium prædicasse, constat ex vitæ eius historiâ, ab Ansone Abbate Laubiensi primùm conscriptâ, atque à Ratherio Veronensi Episcopo postmodum emendata. Eam Laurentius Surius edidit, non tamen integram, vtpote qui istam S. Vrsmari in Flandria prædicationem omisit. Nos eam prorsus integram ex Laubiensi monasterio, opera Huberti Dubraij, Præpositi Affligeniensis accepimus, & in Auctario Suriano, Deo adiuuante, euulgandam curabimus.

Tradunt porrò S. Vrsmarum haud longè ab Aloso tugurium habuisse, quod in monasterium, vt verisimile est, Benedictinorum postea excreuit. Sed à Normannis Belgicam vastantibus exustum diu iacuit.

Pòst instauratum & monachis Ordinis S. Guilielmi est traditū; quod intra opidi mœnia situm ipsi hodieque possident.

De his rebus sic Arnoldus Mermannius Alostanus, in Theatro cōuersionis gentium totius Orbis: *Alostanus Comitatus, ditissimus agri (habet enim sub se ciuitates tres, pagos vastissimos*

mos opulentissimosque CLXXII. adeoque ipsi Cameraco iura dicit, alioqui Imperiali & liberæ ciuitati, imò quam sibi hoc tantùm titulo asseruit Carolus Quintus Augustus, quòd Alosto principaretur) Euangelij præconem, cumprimis S. Amandum, deinde eius in fide alumnum S. Vrsmarum habuit, anno & quod excurrit IↃ.CLXVIII. Iustiniano Imperatore, Leone III. Pontifice Maximo. Habebat sacram casulam, & tugurium ad mœnia S. Vrsmarus, vbi postea cœnobium S. Vrsmari initio, deinde S. Guilielmi est nuncupatum: id quod à Normānis item exustum dirutumq; fuit, & intra muros demum transpositum: vt in archiuis eius cœnobij me legere memini. Hactenus Mermannius.

CAPVT XVIII.

De loco obitus, & Reliquijs sancti Guilielmi.

OBijt S. Guilielmus in Stabulo Rhodis, quod hodie *Malauallis*, in ditione Senensi, nūcupatur. Quo in loco exstat hodieq; vetus Basilica ac monasterium, ibique venerabile sepulcrum ostenditur, in quo sacrum eius corpus conditum fuit. Pars autē corporis eius postmodū translata est Castellionē, quod opidū tribus inde milliaribus distat, ibique in Basilica Sancti Ioannis Baptistæ reuerenter adseruatur. Est verò hodieque in Stabulo Rhodis monasterium insigne fratrū Augustinianorum, vt Baronius testatur in Notis ad

Mar-

Martyrologium Rom. X. Februarij.

Pars item reliquiarum S. Guilielmi visitur Antuerpiæ in Domo Professa Soc. Iesu, argenteæ thecæ inclusa.

Porrò S. Guilielmum in numerum Sanctorum anno CIↃ. CC. II. retulit Gregorius IX. Pont. Maximus.

CAPVT XIX.

Ordo Siluestrinorum, per Beatum Siluestrum Grosolinum fundatus.

ORDO Siluestrinorum sub regula sancti Benedicti, institutus est à B. Siluestro, qui fuit monachus Vallis Vmbrosæ. Initium habuit anno Domini 1232. & confirmatus est ab Innocentio IV. anno 1258. Olim hic ordo dicitur fuisse subiectus ordini Vallis Vmbrosæ: nunc gubernatur cura vnius generalis Præpositi, qui olim solet esse perpetuus, sed nunc triennalis est. Viget hic ordo potissimùm in Marca Anconitana, Vmbria, & Tuscia. dicitur habere monasteria 25. in quibus habitant monachi circiter trecenti. Ita tradit Azores in suis Institutionibus Moralibus.

Ordo initium sumpsit in Monte Fano, tertio lapide ab vrbe Roma; si modò nouus Ordo dicendus sit, & non potiùs Congregatio

tio reformata, ſub inſtituto Vallis Vmbroſæ.

CAPVT XX.

Ordo Cœleſtinorum à S. Petro Cœleſtino inſtitutus.

PEtrus cognomento Moronenſis (ſic à Morono monte, in quo vitam aſperam duxit, appellatus) patria AEſerninus vitam anachoreticam in ſumma auſteritate apud Sulmonem ducens, famaque ſanctitatis fulgens, cùm ordinem Cœleſtinorum inſtituiſſet à Gregorio X. approbatum, abſens Peruſiæ à Cardinalibus, operâ Caroli Regis Neapolitani, & Latini Cardinalis, Pontifex poſt Nicolaum IV. anno ſalutis milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto eligitur, ac Cœleſtinus V. appellatur. Qui Aquilæ maximo hominum concurſu (200. ſiquidem millia Aquilam, vt eremitam Pontificem factum cernerent, tradunt conueniſſe) conſecratus, duodecim Cardinales creauit, vitamque priſtinam quò ad vigilias, ieiunia & orationes retinebat, Latini Cardinalis præcipuè opera in adminiſtrando Pontificatu vſus. Erat autem in omnes ita humanus, benignus & facilis, vt mortuo Latino, à nonnullis Cardinalibus, maximè verò à Benedicto Caietano, vt ſe illo abdicaret, ne Eccleſia ſui cauſſa detri-

mentum pateretur, facilè ipsi persuaderetur. Quare Cœlestinus onus humeris suis impar esse dicens, Neapoli collegio Cardinalium coacto, sexto mense Pontificatum, Carolo Rege & alijs reluctantibus, deposuit, eremũque repetijt. Interim Benedictus Caietanus Pontifex creatus, & Bonifacius VIII. dictus, ne Petrus ad sedem ab æmulis Cardinalibus & Principibus, quibus factum improbabatur, reuocaretur, illum in itinere captum, in castro Fumonis apud Ferentinum iussit custodiri. Vbi post septemdecim menses cessit è vita. Quem miraculis clarum Clemens V. Pontifex Maximus Auenione 5. Nonas Maij anno salutis millesimo trecentesimo decimo nono Sanctorum numero adscripsit. Corpus primùm ex Cœlestinorum monasterio Ferentinum delatum est: inde clam sublatum Aquilam deductũ fuit, vbi S. Petrus an. salutis millesimo quingentesimo vigesimo, die 11. & 12. Iunij Pontificali habitu indutus, valdeque refulgens supra templum S. Mariæ (in quo corpus asseruatur) cùm horæ vespertinæ decantarentur, apparuisse, vrbique benedixisse traditur: vt narrat Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Est autem Aquila vrbs regni Neapolitani, ad Ducem Parmensem pertinens.

Vitam Sancti Petri Cœlestini scripsere Petrus Aliacus Cardinalis & Episcopus Came-

Cameracensis, itemque Paulus Regius & alij.

Exstat sancti Cœlestini elogium apud Petrarcham lib. 2. de vita solitaria: *Papatum,* inquit, *quo nihil est altius, quis vlla ætate, præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contempsit, quàm Cœlestinus ille, pristinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egestatem appetens? Audiui narrantes qui viderant, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestantem, dum à conspectu Concilij iam tandem sibi redditus ac liber absccderet, quasi non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisset.*

CAPVT XXI.

Cœlestinorum Monasteria in Prouincia Franciæ.

S. Mariæ Parisiense conditum anno 1352. *Paris.*

S. Mariæ Ambertinense, siue de Amberto, anno 1300. *Ambert.*

Sancti Petri de Castris, siue monasterium Castrorum, conditum est à Philippo IV. Rege Galliæ, in monte Castrorum ex Prioratu, quem à S. Crispini Abbate Suessionensi acquisierat. *S Pierre pos chasteaux.*

Sanctæ Mariæ Ternense siue de Ternis, *Ternes.*

anno 1338. fundatum à Rogerio Aurelianensi, postea Lemouicensi, ac demum Bituricensi Antistite.

Gentilin. Gentilinense siue de Gentilino monasterium S. Martiali sacrum, conditum est anno 1356. ab Hannibaldo de Secano.

Colũbier S. Mariæ Columberiense anno 1361. per Bertrandum Ecclesiæ S. Quintini in Veromãduis Decanum.

Sens. B. Virginis Mariæ Senonense an. 1366. de quo fusè Choppinus lib. 1. legũ Andegauensiũ cap. 1.

Medun. S. Trinitatis ad Meduntam opidum anno 1376. fundatum per Carolum V. Regem.

Auignon S. Petri Auenionense an. 1393.

Amiens. S. Antonij Ambianense an. 1401. fundatũ à Carolo VI. Rege.

Mets. S. Mariæ Metense anno 1402. in Lotharingia.

Soissons. S. Trinitatis Villanouanum apud Suessiones anno 1404.

Offremont. S. Crucis apud Offremontem vicum in valle Frigida an. 1405. fundatum per Ioannẽ de Neesle dominum de Offremonte, & Margaretam de Mellou coniuges.

Marcoussÿ. S. Trinitatis Marcoussiasense anno 1408. fundatum per Ioannem de Monte acuto.

Vichÿ. S. Trinitatis Vichiacense 1411. per Ludouicum III. Boiorum Ducem.

S. Ma-

S. Mariæ Lugdunense anno 1421. fundatū per Amadeum VIII. Sabaudiæ Ducem ciusque filium Ludouicum cū ampla dote, vt testatur Paradinus lib. 3. cap. 7. Chron. Sabaudiæ. *Lion.*

S. Mariæ Heuerense apud Louanium in Brabantia an. 1521. fundatum, opibus Guilielmi Croij, Toparchę Ceruiensis; cuius ibidem tumulus magnificus spectatur cum alijs aliquot Ducū Arschotanorum ex gente Croija. *Heuer.*

S. Mariæ Rotomagense anno 1445. per Carolum Regem Franciæ fundatum. *Roen.*

S. Catharinæ de Villario Salleti anno 1460. *Villers.*

S. Mariæ Esclimontense an. 1448. fundatum per Stephanum Rouchier tunc Baiocensem, pòst Turonensem Archiepiscopum. Ita Choppinus lib. 1. Monasticorum tit. 2. artic. 14. *Esclimō.*

CAPVT XXII.

Ordo Montis Oliueti, per B. Bernardum Senensem, cognomento Ptolomæum, institutus an. 1320.

BErnardus, antè Ioannes, Senis ex nobili Ptolomæa familia natus, à prima ætate

 literis

literis humanioribus, deinde legibus operã dedit: quas & publicè factus Doctor summa cum laude est interpretatus. Cùm aũt publicã habiturus disputationem in Academia Senẽsi in grauẽ oculorũ ægritudinem incidisset, SS. Virginẽ precatus est, vt sibi lumẽ & pristinam oculorum sanitatẽ restitueret, se ipsius famulatui, relicto sæculo, perpetuò se addicturum pollicitus Qui mox compos voti factus, loco lectionis ac disputationis, grauem habuit de sęculi huius contemptu concionem, in maxima auditorum, quibus, quæ sibi accidissent, narrauit, frequentia. Nec mora, promissionis suæ memor rudi amictu indutus, vrbeque egressus se in Montem Oliuetum, apud Montem Ilcinũ contulit: quem *Patricius* ex Patricia familia, & *Ambrosi⁹ Picolomineus*, ambo nobiles Senenses, eodem proposito secuti sunt. Ibi ædicula cellulisque exstructis, ordinis fũdamenta iecit, facultatibus suis ei dicatis, asperamque cœpit in ieiunijs, vigilijs, & orationibus vitam ducere; viditque inter orandum scalam ad cœlos vsque pertingentem, Angelosque descendentes monachos albi vestitus per scalam ad ipsum Angelorum Regem, eiusque Genitricem candido amictu fulgentes deducere conspexit. Cùm autem multi in dies ad eum discipuli confluerent, ecce SS. viros æmuli quidam quasi hæreticos apud Ioannem XXI. Pontificem Maximum Auenione agentem deferunt,

ferunt, qui eos ad se extemplò accersiuit. Cùm verò Pontifex ab ijs, quos Bernardus miserat, omnem vitæ eorum rationem, intellexisset, illos tanquam innocentes ad Guidonem Episcopum Aretinum, in cuius diœcesi erat locus (qui eis regulam præscriberet, approbaretque sodalitatem) remisit. Episcopus itaque, cùm sibi sanctissima Deipara in somnis albis induta vestibus apparuisset, recentemque congregationem commendasset, illos inter Missarum solemnia in Ecclesia Cathedrali habitu candido, solemni adhibita benedictione, die 21. Martij anno salutis 1319. induit, eisque Diui Benedicti Abbatis regulam seruandam præscripsit, congregationique *S. Mariæ Montis Oliueti*, & Ioanni nomen Bernardi indidit. Reuersi ad propria *Patricium*, Bernardo primatum detrectante, primum congregationis Oliuetanæ Abbatem elegerunt: quo defuncto in Domino, *Ambrosium*, eoque ex humanis sublato, *Simonem* tertio loco subrogarunt Senensem. Sed & illo sanctè defuncto, *Bernardus* regimen inuitus capessere cogitur anno salutis 1322. Qui nihilominus nihil de vitæ suæ asperitate remisit assiduis orationibus, vigilijs, meditationibus, ieiunijs, alijsque carnis macerationibus intentus. Sub eo multis in locis exstructis cœnobijs sodalitas propagata est.

Denique Bernardus vbi sui ordinis confirmationem ab eodem Pontifice, Auenionem profectus, obtinuisset, annosque 27. ei optimis legibus communito præfuisset, Senis, dum suis monachis pestilentia, quæ tũc grassabatur in ea vrbe, infectis, proprijs manibus inseruiret, & ipse percussus peste, spiritum Deo reddidit anno salutis 1348. XI. Kalend. Septembris. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex Chronico Ordinis Montis Olitueti. Corpus B. Bernardi asseruatur in Monte Olitueto magna cum veneratione.

Huius instituti Sodales alba vtuntur veste, habentque Præpositum Generalem non nisi triennalem.

CAPVT XXIII.

Monachorum Ord. S. Benedicti variæ Congregationes reformatæ.

INter Congregationes varias monachorum Benedictinorum eminent *Cassinensis* apud Italos, *Vallisoletana* apud Hispanos, *Casalis Benedicti* apud Francos, *Olisiponensis* apud Lusitanos, & *Bursfeldensis* apud Germanos cum superiores, tum inferiores.

Cassinensis Congregatio, quæ & S. *Iustinæ de Padua* dicitur, circa an. 1408. aut 1410. per *Ludo-*

Ludouicum Barbum, ad S. Iustinam in vrbe Patauina Abbatem, sumpsit exordium : vt fusè docui in nostris Originibus Benedictinis Coloniæ an. 1614. editis, cap. 92.

CAPVT XXIV.

Monasteria Reformatæ Congregationis Vallisoletanæ in Hispania, quæ in Belgium & Lotharingiam suos palmites nostro æuo emisit.

S. Benedicti Regalis Abbatia in vrbe Vallisoletana, quæ est caput Congregationis.
S. Mariæ Montis-Serrati.
S. Mariæ Regalis de Nagera.
S. Martini in vrbe Compostella vulgò de *Santiago*.
S. Petri de Cardena.
S. Zoili de Carrion.
S. Dominici de Silos.
S. Petri de Eslonza.
S. Mariæ de Sopetran.
S. Mariæ Regalis Abbatia de Hiracho, seu Hiracense monasterium, in diœcesi Pompelonensi.
S. Andreæ de Espinareda.
S. Ioannis del Poijo.

S. Vincentij de Ouiedo, seu monast. Oueten-
se.
S. Felicis de Guixoles.
S. Mariæ de Ouarenes.
Gelorij & S. Antolini.
S. Benedicti de Zamora.
S. Vincentij de Montfort.
S. Mariæ de Espino.
S. Mariæ de Obona.
S. Petri de Tenorio.
S. Saluatoris de Oua.
S. Ioannis de Burgos, seu monasterium Bur-
gense.
S. AEmiliani Cucullati, vulgò de la Cogol-
la.
S. Saluatoris de Cella noua.
S. Petri de Arlanza.
S. Claudij Legionense monasterium.
S. Iuliani de Samos.
S. Stephani de Riuos del Sil.
S. Isidori de Duennas.
S. Mariæ de Valuanera.
S. Petri de Montes.
S. Ioannis de Corias.
S. Vincentij monast. Salmanticense.
S. Saluatoris de Lorensana.
S. Benedicti monast. Hispolense.
Cornellana.
S. Maria de Tromesta.
S. Mariæ del Buesco.
S. Saluatoris de Lerez.
S. Petri de Villa noua.

Sunt

Sunt insuper huius congregationis Vallisoletanæ plura alia monasteria minora, quorũ Abbates non sunt Capitulares.

Ceterũ anno 1598. *Augustinus*, natione Anglus, in monasterio S. Martini Compostellani vestem monasticam suscepit. In eodem monasterio post aliquot menses quinque alij Angli facti sunt monachi.

Anno 1602. idem Augustinus cum alijs duobus monachis in Angliam à Superioribus missus est: in qua insula annis tribus Catholicos inter latuit, verbo & exemplo eosdem instruens.

Idem postea à Superioribus missus est in Belgiũ, & monasterium insigne excitandum curauit per R. D. Philippũ Cauerellum, Abbatem Vedastinum, in vrbe & Academia *Duacena*, & alterum *Mussiponti* in Lotharingia, pro augmẽto missionis Anglicanæ; cuius quidem ipse Vicarius generalis diu fuit. Multi insuper Angli ab eo tempore in alijs Vallisoletanæ Congregationis monasterijs monasticen professi sunt, & deinde in Britanniam missi ad Catholicos iuuandos. Ex quibus nonnulli pro fide Catholica martyrium subierunt, quorum ossa deinde ex Anglia Duacum sunt aduecta.

Monasterium porrò Duacenum à fundamentis suo ære excitauit, vt dixi, anno 1612. *Philippus Cauerellus* Abbas Vedastinus, vnà cũ Collegio adiuncto, in quo omnes disciplinæ explicantur.

In

In eadem vrbe Duacena, anno 1604. à fundamentis exstructum est monialium Benedictinarum pariter reformatarum cœnobium, quod vulgò *Abbatia Pacis* nuncupatur.

Sic & Bruxellis illustre cœnobium nobilium virginum Anglicarum, sub regula S. Benedicti militantium, est excitatum, adiutantibus *Alberto & Isabella Clara Eugenia*, Ser.mis Belgarum Principibus.

Ceterùm Vallisoletani monasterij circa annũ 1380. conditor fuit *Ioannes I.* Castellæ Rex, qui arcem veterem in cœnobij formam conuertit, & anno 1390. obijt.

Dictæ Congregationis reformatæ, quæ olim Vallisoletana, nunc Hispaniensis dicitur, primarius auctor circa annum 1520. exstitit *Garsias Cisnerus*, Montis Serrati Abbas.

Quæ quidem Congregatio vel eo nomine maximè laudanda est, quòd exemplo maiorum suorum, veterum inquam Benedictinorum (post confectum in Academijs sacrorum studiorum cursum) suos ad sacras conciones in templis habendas, populi confessiones excipiendas, aliaque munia Ecclesiastica obeunda seriò impendat. Quod vtinam nostri per Belgium, Galliam & Germaniam Benedictini, Ecclesiæ commodo, æmulentur.

CA-

CAPVT XXV.

Vnionis seu Congregationis Bursfeldensis in Germania origo.

POst Constantiensem in Germania Synodum celebratam, anno circiter salutis millesimo quadringentesimo vicesimo, Vnionis seu Congregationis Bursfeldensis Reformatio sumpsit exordium. Huius auctor fuit *Ioannes Rodius*, Abbas cœnobij S. Matthiæ apud Treueros, qui ordinis Benedictini per Germaniam generalis visitator à Constantiensi Synodo constitutus, seipsum in primis ac monasterium suum reformauit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pótifice impetrauit. Inter cetera verò ordinis huius monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniæ cœnobium, Reformationis istius decreta primũ suscepit anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniæ monasteria deriuauit. Mortuo deinde Ioanne Rodio, *Ioannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in monasterijs aliquot veterem disciplinam iam instaurarat, agente *Iacobo* Treuerensi Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cùm nollet is pauperculum Bursfeldense suum cœnobium relinquere, alius in Rodij locum

1420.

locum vt generalis Reformator est suffectus, sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus*, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui *Ioannem Hagensem* pietatis opinione celebrem ad se euocatum generalem Ordinis Reformatorem pronuntiauit. Quo factum est, vt idem Cusanus Conuentum seu Capitulum, vt vocant, annuum pro conseruatione Reformationis institueret, Præsidis seu Præfecti domicilium è sancti Matthiæ Treuerensis cœnobio Bursfeldiam transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porrò Bursfeldensi Congregationi pleraque Germaniæ, ac Galliæ Belgicæ monasteria sese aggregarunt, vt ex sequenti Catalogo patebit.

CAPVT XXVI.

Monasteriorum congregationis Bursfeldensis catalogus alphabeti serie digestus.

Abdinghoff. ABDINCHOFFENSE præclarissimũ monasteriũ in Episcopali Vrbe Paderborna, loco amœnissimo situm, & à Meynvverio, Episcopo Paderbornensi ordine decimo, an. Christi 1015. fundatum est in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli. Subdidit autem se hoc monasterium sacræ Vnioni ac reformationi Bursfeldensi, an. Domini 1477.

Af-

AFFLIGEMIVM, in Ducatu Brabantiæ, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum fundatum, an. Domini 1083. ad Vnionem accessit anno 1524. *Afflighē.*

ALPERSBACHENSE m. in Ducatu VVirtembergensi, Cōstantiensis diœcesis, in honorem S. Benedicti Abbatis fundatum an. Vnioni Bursfeldensi se adiunxit an. 1482. *Alpersbach.*

ALTORFENSE m. in Episcopatu Argentinensi, an. 1607. additum est Vnioni Bursfeldēsi, auctoritate Caroli Cardinalis Lotharingiæ, eiusdem loci Episcopi. *Altorf.*

AMMESLEBENSE m. in Archiepiscopatu Magdeburgēsi trib. milliarib. ab ipsa metropoli, in honorē SS. Petri & Pauli fundatū, Vnioni Bursfeldēsi fuit incorporatū an. 1468. *Ammesleben.*

APRI MONASTERIVM, in Argentinēsi Episcopatu situm, vnitū est an. 1482. aut 1607.

S. ANDREAE MONASTERIVM. vide infrà Brugense. (littera M.

AVRACHENSE monasterium. vide in

BALLENSTEDENSE monasterium diœcesis Halberstadensis, in honorem beatissimæ Virginis MARIAE fūdatum, Vnionis Bursfeldensis membrum est factum anno 1483. *Ballenstede.*

BAMBERGENSE, vide infrà, Mons monachorum.

BERGA, in Archiepiscopatu Magdeburgēsi, prope ipsam metropolim in monte, in honorem S. Ioannis Baptistæ fundatum, vnionē ac reformationem Bursfeldensem suscepit anno 1437. BOR-

BORGELENSE monasterium ad vnionẽ Bursfeldensem admissum legitur anno 1510. Est autem Borgelen siue Burgelen opidulum Thuringiæ ad Salam fluuium, versus Misniã: cuius loci monasterium hic designatur, vt opinor.

BOSMARIANVM, in honorem B. Mariæ Virg. fundatum, vnioni fuit incorporatũ an. 1468.

BRVGENSE monasterium in Flandriæ Comitatu, diœcesis eiusdem, in honorem S. Andreæ fundatum an. 1098. Vnioni Bursfeldensi adscriptum est anno 1516.

BOSCHAVIA siue Possauia.

BREIDENAVVENSE m. in Hassia, Mogũtinensis diœcesis, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum, Vnioni Bursfeldensi se submisit anno 1497.

BREMENSE m. in ipsa valle Archiepiscopalis vrbis Bremensis, in honorẽ S. Pauli fundatum, Vnioni se Bursfeldicæ consecrauit anno 1537.

BRETTINGENSE m. Mogũtinæ diœcesis, vnioni subiectum anno 1514

BRVVVYLERENSE m. in Archiepiscopatu Coloniensi, duobus fermè milliaribus ab vrbe Colonia, in honorem S. Nicolai Episcopi fundatum anno circiter 1050. Vnioni fuit incorporatum anno 1468.

BVRSFELDIA, sacræ Vnionis quondam caput, ad Visurgim fluuiũ, in Ducatu Brunsvicensi

vicensi Moguntinæ diœcesis, fundata est in honorem SS. Thomæ Apostoli, & Nicolai Episcopi: Reformata autem fuit anno 1437.

CELLA S. MARIAE, prope Elfendorp in Episcopatu Lubecensi, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ fundata, fuit vnita anno 1468.

CISMARIA, in honorem S. Ioannis Euangelistæ fundata Vnioni se dedit anno 1437.

CLARA AQVA, monasterium monialium *Claer* sub Præposito, in Frisia, diœcesis olim Vltra- *VVater.* iectensis, in honorem B. Virginis Mariæ fundatum, Vnioni se dedit anno 1469.

CLVSA, in Ducatu Brunsvicensi, prope *Clause.* oppidum *Gandersheim*, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, & S. Georgij fundatum suscepit reformationem anno 1435.

COLONIENSE amplissimum monasteriũ, in vrbe, in honorem *S. Pantaleonis* martyris *S. Pãtaleon.* fundatum Bursfeldensi Vnioni se subiecit anno circiter 1450. Ibidem Coloniæ aliud monasterium dictum ad *S. Martinum* maiorem, *S. Marten.* fundatum anno 986. Vnionis esse cœpit anno 1450.

CORBEIA, Imperiale & exemptum *Corben.* monasterium, prope oppidum Huxuriense diœcesis Paderbornensis, in honorem S. Victi martyris extructum est anno 822. seminariũ fere præcipuorum olim totius Saxoniæ Archiepiscoporum, & Episcoporum, & doctissi-

morum virorum;in quo numerati sunt olim 300. Sacerdotes, per tres diuersos choros distincti, diu noctuque diuinas laudes persoluentes. Primò autem fuit reformatum anno 1486. ac deinde Vnioni datis litteris se subdidit anno 1505.

Egmöt. EGMVNDA, m. in Comitatu Hollandiæ, olim diœcesis Vltraiectẽsis, nunc Harlemensis, in honorem S. Adelberti Episcopi & martyris constructum, est Vnitũ Capitulo Bursfeldensi anno 1491.

EINHAMENSE m. in Flandria, diœcesis Mechliniensis, in honorem S.mi Saluatoris fũdatũ anno 1063. Bursfeldensi autem Vnioni subditum anno 1524.

Elfendorpense monasteriũ, vide suprà Cella S. Mariæ.

ERPHORDIENSE m. in eiusdem nominis vrbe & monte Petrino, in Thuringia, diœcesis Moguntinensis, in honorẽ SS. Principũ Apostolorũ Petri & Pauli fũdatũ, Vnionẽ cũ primis assumpsit anno 1437.

Esehorẽ. ESEBORENENSE monasterium.

Ethens Closter. ETHONIS m. in Episcopatu Argentinensi, vnitum est anno 1607. vt Altorfiense.

FLECHTORPENSE monasterium in Comitatu VValdeck, diœcesis Coloniensis, in honorem beatissimæ Mariæ Virginis, S. Clemẽtis, & S. Laurentij fundatum, Vnioni Bursfeldensi se adiunxit anno 1468.

FLIERBACH. vide infrà littera V.

Fosvvert FOSVVARTENSE monasterium, aliàs Betha-

Bethania in Frisia Orientali.

GEMBLACENSE in oppido eiusdem nominis, Ducatus Brabantiæ, & diœcesis olim Leodiensis, nunc Namurcensis, in honorem S. Petri Apostoli & S. Exuperij martyris fundatum anno 922. Vnioni est associatum anno 1505. *Giblou.*

GERODA, m. in Eichsfeldia Archiepiscopatus Moguntinensis, vno milliari ab oppido Duderstadt, in honorem S. Michaelis Archangeli fundatum, Vnioni Bursfeldẽsi est incorporatum anno 1467.

GENGENBACENSE Imperiale monasterium, in Archiepiscopatu Argentinensi, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum est, Incorporatum, vt Altorf, an. 1505.

GLADBACENSE, in Ducatu Iuliacensi, vno milliari ab oppido Nouesiensi, diœcesis Coloniensis, in honorem S. Viti martyris fũdatum. Vnioni Bursfeldensi adscriptum est anno Domini 1511.

S. GODEHARDI monasterium. Videatur littera H.

GOTZAVGIA m. sub Marchione Badẽsi, diœcesis Spirẽsis, quatuor milliaribus ab Hirsaugia, fundatum, membrum Vnionis Bursfeldensis factum est anno 1437.

GOTZRICHENSE m. in Episcopatu Mechelburgẽsi, nõ lõgè ab ipsa vrbe, in honorem B. Mariæ Virginis, & S. Michaelis fundatum, Bursfeldensi Vnioni subiectũ est anno 1493.

GRAVESCHAFTENSE m. in VVestphalia seu Suirlãdia diœcesis Coloniensis, in honorẽ S. Alexandri martyris fundatum, ad Vnionem accessit anno 1506.

GRONAVVENSE m. in Hassia diœcesis Treuerensis, in honorem S. Sebastiani martyris fundatum.

HASVNGENSE m. in Hassia, diœcesis Moguntinensis, Vnioni Bursfeldensi incorporatum est anno 1505.

HEILBVRGENSE monasterium.

HERBIPOLENSE ad *S. Stephanum*, in ipsa vrbe Episcopali, Vnioni Bursfeldensi incorporatum anno 1460. Ibidem ad S. *Iacobum Maiorem*, in Suburbano fundatum est, vnitum per Ioannem Trithemium anno 1513.

HERSSEFELTENSE m. in Archiepiscopatu Bremensi, in honorem S. Apostoli Bartholomæi fundatum an. Domini 1100. Vnioni Bursfeldensi subditum anno 1510.

HILDESHEIMENSE primum ad S. Michaelem, in eadem vrbe prope muros fundatum, Vnionis Bursfeldicæ membrum factum est anno 1451.

HILDESHEIMENSE secundum monasterium, dictum ad *S. Godehardum*, qui fuit illius vrbis Episcopus, in Brulone, haut procul ab vrbe fundatum, Vnioni associatum est anno 1466.

HILDESLEBENSE m. distans vno milliari ab Ammesleben, de quo suprà, Vnionis Burs-

Bursfeldensis factum est anno 1472.

HIRSAVGIA, in Ducatu VVirtenbergẽsi, prope Nigram syluam, diœcesis Spirensis, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum fundatum, Vnioni Bursfeldensi accessit anno 1437. Reddidit hoc monasteriũ celebre inter alios Ioannes Trithemius Abbas, cuius exstat Chronicon Hirsaugiense.

HVMBORGENSE m. in Hassia, in honorem S. Christophori fundatum, Vnioni se adiunxit anno Domini 1437.

HVELSBERGENSE m. vnitum anno 1526.

HVESBORGENSE m. vno milliari ab Episcopali vrbe Halberstatensi in honorem beatissimæ Mariæ Virginis fundatum, Vnioni se dicauit anno 1437.

HVNGELSHOFENSE m. Argẽtinæ diœcesis, Vnioni incorporatum est anno Domini 1513.

S. IACOBI prope Moguntiam. vide lit. M.

IBORGENSE m. in castello eiusdem nominis, Episcopatus Osnaburgensis, in honorem S. Clementis martyris fundatum, ad Vnionẽ fuit adsumptum anno 1468.

ILSENBORGENSE m in Episcopatu Halberstatensi, in honorem SS. Petri & Pauli fũdatum.

KEILDERPFENSE monasterium.

KONIGES-LVTTERENSE m. in Ducatu Brunſvicenſi, diœceſis Halberſtatenſis, in honorem SS. Petri & Pauli fundatum, Vnioni ſe deuouit anno 1492.

LACENSE m. in Archiepiſcopatu Treuirenſi, non procul ab oppido Andernacheſi, in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis Deiparæ fundatum, Vnioni ſe incorporauit anno 1474.

LEISBORNENSE m. in agro Epiſcopatus Monaſterienſis, vno milliari ab oppido Lippia, in honorem ſanctiſſimæ Dei Genitricis, nec non BB. martyrum Coſmæ & Damiani, itemque Simeonis Prophetæ (cuius brachiũ ibi religiosè adſeruatur) fundatum, reformationem Burſfeldenſem ſubijt anno 1465.

LIMBORGENSE m. ſub Electore Palatino, diœceſis Spirenſis, fundatum Vnitum eſt an. Domini 1481. (prà K.

LVTHERENSE monaſterium. Vide ſu-

Műſter. LVXEMBVRGENSE B. Marię cœnobium, in eiuſdem nominis Ducatu & vrbe, in honorem beatiſſimæ Marię Virginis fundatum an. 1083. ad ſacram Vnionem acceſſit anno 1506.

S. Mariæ monaſterium, prope caſtrum Oldenburg, in agro & finibus Epiſcopatus Paderbornenſis, duobus milliaribus à Corbeia; in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sãctorumque Iacobi Apoſtoli & Chriſtophori martyris fundatum, ad matriculam Vnionis Burſfeldenſis venit anno 1480. *Marien Műſter.*

S. MAR-

S. MARTINI { maioris, Coloniæ. vide C. / in Vrbe Treuerica. vide T. / in Spanheim. vide S. }

MARTZBVRGENSE monasterium.

Monasterium S. Mauri, in eiusdem nominis oppido, quatuor milliaribus ab Argentina, in honorem SS. Apostolorũ Petri & Pauli, sanctique Martini fundatum anno 724. sacræ Vnionis obseruantiam suscepit anno 1607. vti Altorf. *Maur-munster*

MEDIOLACENSE monasterium, distans quatuor milliaribus ab vrbe Treuirensi, ab Archiepiscopo Ludvvino fũdatum, Vnionis albo fuit inscriptum an. 1468. *Mith-lach.*

MERSBVRGENSE m. in ipsa vrbe Episcopali, in Thuringia siue Saxonia superiore, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum fundatum, sacræ Vnioni sese obstrinxit anno 1437.

MINDENSE m. in eiusdem nominis vrbe Episcopali ad Visurgim fluuium, in honorem SS. Mauritij & Simeonis fundatum, membrum Vnionis Bursfeldensis factum est anno 1464.

MOGVNTINVM, ad S. Iacobum prope muros vrbis istius Archiepiscopalis, in monte specioso fundatum, Vnioni incorporatum est anno Domini 1437.

MONACHORVM AVRACHIVM, siue

Monniche Aurach. Aurachense monasterium in Marchia Brandenburgensi, ad fluuium Aurachium; diœcesis Herbipolensis, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum fundatum, ad Vnionem accessit anno 1480.

Monnichesberg. MONS MONACHORVM, in Episcopatu Bambergensi, apud eiusdem nominis vrbem primariam, in honorem S. Michaelis Archãgeli fundatum anno 1008. ad Vnionem venit anno 1467.

Mons S. Ioannis Baptistæ, vide Rinckaviense monasterium.

Monnichen Neuëborgh. NEVENBORGENSE m. sub Comitibus de Anholdt, diœcesis Magdeburgensis; in honorem S. Georgij fundatum, ad Vnionem accessit anno 1437.

Monniche Rotten. ROTTENSE m. diœcesis Herbipolensis, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum an. Domini vnitum 1480.

NORTHEIMENSE m. in eiusdem nominis oppido, Ducatus Brunsvicensis, in honorem S. Blasij Episcopi & martyris fundatum, Vnioni adscriptum est anno Domini 1464.

NORENBERGENSE monasterium.

OLDENSLEBENSE m. in honorem S. Viti martyris fundatum, accessit reliquis obseruantiæ Bursfeldensis anno 148;.

OLDENSTADENSE m. in Ducatu Lunenburgensi, in honorem S. Ioannis Baptistæ fundatum, Vnionis Bursfeldensis reformationi se subdidit anno 1482.

ORA-

ORATORIVM Regni Daniæ, sub Episcopatu ibidem Arhusiensi, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum, Vnioni incorporatum est anno 1488.

OSTBROVCANVM monasterium, in Episcopatu Vltraiectensi, prope Vltraiectum in honorem S. Laurentij martyris fundatum anno 1122. Bursfeldicæ Vnioni incorporatum est anno 1468.

PADERBORNENSE monasterium, vide Abdinghoff.

S. PANTALEONIS martyris, Coloniæ, vide C.

PEGAVIA, monasterium in honorem S. Iacobi Apostoli fundatum, Vnioni Bursfeldensi coniunctum est anno 1485.

RASTEDENSE m. in Comitatu Oldenburgensi diœcesis Bremensis. *Rastede.*

REINHARDTSBORNENSE m. in finibus Thuringiæ diœcesis Moguntinæ, in honorẽ B. Mariæ Virginis & Ioannis Euangelistæ fũdatum, Vnionis albo adscriptum est an. 1493.

REINSDORFENSE m. in diœcesi Halberstatẽsi, in honorẽ S. Michaelis Archãgeli fundatũ, Vnionis albo annumeratum est an. 1491.

REINHAVSENSE m. in Ducatu Brunsvicensi, prope opidum Gottingen, in honorem S. Christophori martyris fũdatum, ad Vnionem receptum est anno 1437.

RINCKAVIENSE m. in monte S. Ioannis Baptistæ in Archiepiscopatu Mogũtino, fer-

mè tribus milliaribus à Moguntia, fundatum an. ad Vnionem receptum an. 1437.

RINGELENSE m. in Ducatu Brunſvicẽſi, in honorem S. Abdon & Sennes fundatum, ad Vnionem receptum eſt an. 1485.

Schonhaugen. SCYNNA, in Comitatu Hoyenſi, diœceſis Monaſterienſis, in honorem S. Viti martyris fundatũ, Vnioni incorporatũ eſt an. 1468.

SCHONAVGIA in Archiepiſcopatus Treuirenſis finibus, ab opido Bingen 4. milliaribus diſtans, monaſterium in honorem S. Florini Confeſſoris fundatum, eſt Vnioni adſcriptum anno 1437.

Scotteren. SCOTTERENSE monaſter. in Palatinatu, Argentinæ diœceſis, tribus milliaribus ab Argentina, Vnitum eſt anno 1490.

Selingẽſtadt. SELIGENSTADENSE m. in eiuſdẽ nominis opido, Archiepiſcopatus Moguntini ad Mœnum, quatuor ferè milliaribus à Francofurto, in honorem SS. Martyrum Marcellini & Petri fundatum, Vnioni incorporatum eſt anno 1481.

Siloe. SILOE, monialiũ cœnobium, habens olim apud ſe Abbatem ſeorſim habitantẽ in Friſia, prope vrbẽ Groningã; diœceſis olim Monaſteriẽſis, nunc Groningenſis, in honorem S. Catharinæ Virginis & martyris fundatum, Vnioni incorporatum eſt anno 1469.

Sonneberg. SONNEBERGENSE monaſterium.

Spanheim. SPANHEIMENSE m. in eiuſdẽ nominis Comitatu, quẽ nunc occupat Elector Palatin⁹ pro-

prope opidum Creutznachum, diœcesis Mogũtinæ, in honorẽ S. Martini Episc. fũdatum, est Vnioni incorporatũ an. Domini 1470.

STAVRIENSE monast. in Occidẽtali Frisia, Vnioni incorporatũ est anno 1495. Stauerẽ

STADENSE, in opido STADEN, Archiep. Bremensis, fundatũ in honorẽ B. Mariæ Virg. Vnioni incorporatũ est an. Domini 1510.

STEINA, in Eichsfeldia Archiep. Mogũtini, vno milliari ab oppido Gottingen, & septem milliaribus à Corbeia; monasterium in honorem B. Virginis Mariæ fundatũ, Vnioni incorporatum est anno 1492.

SVVARTZACHIVM, Argentinensis Episcopat⁹, in opido Svvartsack, ad Mœnũ amnẽ, in honorẽ S. Felicitatis fundatũ an. 815. Vnioni incorporatum est an. Dom. 1480.

THOLEGIA, seu Dolegiũ Treuericę diœcesis, in honorẽ S. Mauritij fundatum an. 627. Vnioni incorporatum est anno 1487.

THERENSE m. diœcesis Herbipolẽsis exemptum, distans ab eiusdẽ nominis vrbe septem milliaribus, & quatuor à Bamberga, fundatum, est Vnioni adscriptum an. 1605.

TREVERENSE antiquissimũ & opulentissimũ monasterium ad S. Matthiam, extra muros vrbis Archiepiscopalis fundatum, est membrũ Vnionis Bursfeldẽsis factũ an. 1437.

Ibidẽ ad S. Martinum, in vallo vrbis prædictæ, fundatum an. 526. Bursfeldensi Vnioni incorporatum est anno 1468.

Item

Item B. Mariæ monasterium ad SS. Martyres, extra vrbem, fundatum anno Domini 694. membrum Vnionis factum est anno 1437.

S. TRVDONIS Imperiale monasteriũ in diœcesi Leodiensi, in ipso oppido S. Trudonis, ad Vnionem venit anno 1603.

TRONANENSE monasterium.

TVITIENSE, in eiusdem nominis castello Tuitio, è regione vrbis Coloniensis ad Rhenum, in honorem S. Heriberti Episcopi fundatum anno 1012. Vnioni incorporatum anno 1490. Monasterium hoc inprimis celebre est scriptis Ruperti, eiusdem monasterij Abbatis, Tuitiensis inde dicti.

VELSDORPENSE m. Herbipolensis diœcesis, in honorem S. Michaelis fundatum, Vnioni incorporatum est anno 1477.

VLIERBACVM, olim extra, nunc in ipsa vrbe Louaniensi, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, nec non S. Medardi Confessoris fundatum anno 1125. Vnioni incorporatum est anno 1605.

VLSSEN vetus.

VLTRAIECTENSE ad D. Paulum, in ipsa Vrbe Vltraiectina, fundatum anno 1054. Vnioni incorporatum est anno 1469.

VOSVVART, vide F.

VTAVVE, in Hercinia Silua, diœcesis Herbipolensis, in honorem Sancti Laurentij martyris fundatum, Vnioni accessit an. 1468.

VVER-

VVERDENA, Imperiale monasterium in eiusdem nominis opido, Ducatus Mōtensis, diœcesis Coloniensis, in honorem sancti Ludgeri fundatum, Vnioni Bursfeldēsi additum est anno 1477.

VVIMMELBVRGENSE m. diœcesis Halberstatensis, in honorem S. Sebastiani martyris fundatum, Bursfeldensi Vnioni incorporatum est anno 1492.

VVISSENBVRGENSE monast. Capitulo & obseruantiæ Bursfeldensi vnitum anno 1515.

Hactenus de monasterijs Vnionis seu Cōgregationis Bursfeldensis, quæ hodieque floret, & annis superioribus Coloniæ excitauit Collegium ad sui instituti Sodales sacris litteris instruendos.

CAPVT XXVII.

Societas & origo quattuor Abbatiarum Belgicarum exemptarum, maximequé illustrium, quæ Romano Pontifici immediatè subsunt.

IN Gallia Belgica quattuor sunt illustria admodum atque opulenta Benedictinorum cœnobia, *Vedastinum, Blandiniense, Bertinianum* & *Lobiense*, quæ sacro Societatis nexu inter

inter se vincta ; suum sibi Visitatorem, ex quattuor Abbatibus vnum, constituunt, suntque ab omni Ordinariorum imperio exempta.

Vedastinum in vrbe & diœcesi Atrebatensi, *Blandiniense* in vrbe & diœcesi Gandensi (sic tamen vt peculiarem habeat iurisdictionem etiam politicam) *Bertinianum* in vrbe & diœcesi Audomaropolitana, *Lobiense* in diœcesi Cameracensi quidem, sed sub ditione politica Leodiensi, ad Sabim fl. situm habent. De singulorum origine libet pauca subnectere ex historica Relatione, quam ad me misit Illustris Præsul D. Ph. Cauerellus Abbas Vedastinus. Venerandæ antiquitati cùm multa iure debeantur, multa passim tribuantur, operæ pretium omnes esse putant, vetustas origines, ortusque per antiquos sibi facere. Quibus cùm alij, atque alij variè certent, sæpe etiam ficto titulo (nulla enim alia in parte historiæ plus offenderis vanitatis) lubet in præsens excutere, & paucis designare, quæ & quanta sit antiquitas monasteriorum primariorum nostri Belgij, *Vedastini* nimirum, *Blandiniensis*, *Bertiniani*, ac *Lobiensis*. Qui labor parum sudoris habiturus videtur, si rem à capite accersamus, & referamus vnumquodque istorum monasteriorum ad primum suum auctorem ac principium. Constat enim & euinci potest ex nomine, quinam horum tam illustrium mo-

monasteriorum auctores primi fuerint: Beatus *Vedastus* nimirum Vedastini: Diuus *Amādus* Episcopus Tungrensis, Blandiniensis; S. *Bertinus* Abbas, Bertiniani; & S. *Landelinus*, Lobiensis. Constat item & probari potest idoneis ex auctoribus, quo tēpore floruerint dicti viri sancti.

Atque in primis, vt ab antiquissimo exordiamur, certū est B. *Vedastum*, quarto à Christo sæculo, hoc est, ante annum Dominicæ natiuitatis quingentesimum, esse in hanc lucem editum. Cùm enim anno Domini quingentesimo (vt plurimi tradunt Historiographi) vel quadringentesimo nonagesimo nono, vt habet Catalogus Episcoporum Atrebatensium, Catechisten se præstiterit Clodouco Regi Francorum, pietate Christiana imbuendo; erat procul dubio natus aliquot antè annis. Cuius rei ordinem latè Albinus Alcuinus exsequitur in ipsius Vedasti historia, Baldericus Sacellanus Gerardi Cameracensis in Chronico Cameracēsi, siue historia Episcoporum Atrebatensium & Cameracēsiū, manuscriptus Catalogus Episcoporū Atrebatēsium, & alij plerique historiæ Francorum scriptores, in rerū à Clodouco primo gestarū narratione. Inter quos id etiam aliqui expresserunt, Clodoueū ipso regni anno 15. sacro ablutum esse lauacro. Hincmarus Bremensis Archiepiscopus in narratione historiæ seu vitæ Diui Remigij, tradit Clodoueum vxorem duxisse Crotildem

tildē anno regni sui decimo, victoriam obtinuisse, & baptizatum fuisse anno decimo quinto, Clodoueo regnante. A quo parum aut nihil dissentit Catalogus Episcoporum Atrebatensium, dum tradit anno incarnationis Dominicæ quingentesimo minus vno Clodoueū sibi adsciuisse Vedastum itineris socium. Quibus consentiunt Massæus, Gerardus Mercator, Sigebertus Gemblacensis, & alij Chronologi. Vt meritò ex Gregorio Turonensi lib. 2. cap. 30. & 31. scribat Genebrardus de Clodoueo: *In eius annum decimum quintum Christi quingentesimus incidit, quo & suscepto baptismate Christianus efficitur, & ita quingentesimo Francorum gens, Rege viam præmonstrante, Christianis mysterijs initiatur.* Post Regium verò Baptisma Catechistē Vedastum beato Remigio abs Rege commendatū cum eo mansisse, & cooperarium eius haud segnem fuisse, ex ipsius Vedasti historia ab Alcuino memoriæ commendata liquet. Tempus quidem non exprimitur, scire tamen licet, cùm omnes consentiant anno Episcopatus quadragesimo, Christi quingentesimo septuagesimo Vedastum inter mortales esse desijsse; à quo tempore si annos retexamus, occurret, Vedastú abs Remigio creatum Episcopum Atrebatensem anno Domini quingentesimo tricesimo: atque ita facillimè colligetur Vedastum cum Remigio egisse annis triginta.

Anno

Anno igitur quingenteſimo trigeſimo B. Vedaſtus Præſul datus Atrebatibus (quod expreſſit Chronicon ms. incerti auctoris, cuius initiũ eſt *Orthodoxi Patres*, quodq; in D. Vedaſti monaſterio adſeruatur) in nouã ingreſſ⁹ prouinciam, non ſic cũ Martha in opus incubuiſſe credẽdus eſt, vt Mariæ penitus obliuiſceretur: cũ iſtud certum & conſtitutũ S. Patres oẽs habuerint, quando aliquid operis adire neceſſe eis fuit, vt ſtatim à Marthæ conſuetudine redirent ad Mariã, à praxi ad theoriam, ab actiua vita ad contemplatiuam. Complurium tamen ſcriptores hiſtoriarum nihil referre iudicauerunt, ſi minùs id exprimerẽt in ſua narratione, tũ quòd id ſatis intelligi poſſe ex alijs virtutibus cenſerent, tum quòd vix opus eſſet ea attingere, quæ pleriſq; omnibus ſanctis viris eſſent vſitata. Idem & omiſſurus erat, imò iam omiſerat Alcuinus in hiſtoria Vedaſti, niſi ex occaſione eius rei poſtea meminiſſe opus fuiſſet. Solitudinis enim oratorij, ſeu monaſterioli Vedaſtini tum demum meminit, cùm auferre volentibus ſacrum corpus defuncti Vedaſti, & inferre meditantibus in ædem Diuæ Virgini Matri ſacram, nullo conatu moueri potuiſſe feretrum refert. Quæſitum .n. cùm eſſet à viro religioſo *Scopitione*, quid rei eſſet, reſpondit ſe ſæpius audiuiſſe à B. Patre, quòd nullus intra muros ciuitatis ſepeliri deberet, quia ciuitas quæque locus debet eſſe viuorum, non mortuorum.

Ac tum demum subiungit ipse Alcuinus: *Volebant siquidem illum in Ecclesia beatæ semper Virginis Mariæ vbi in Sede Pontificali præsederat, tumulari: ipse verò sepulturæ suæ locum in oratorio, quod paupere sumptu, id est, ligneis tabulis, propter littus Crientionis fluuioli ædificauerat, fieri disposuisse cognoscitur.*

Ex quibus liquet, Vedastum (quem aliquando Clodoueus apud Tullum laudabili religione soli seruire Deo, & dulcissimos cõtemplatiuæ vitæ carpere fructus agnouerat) non sic Episcopum egisse apud Atrebates, vt quem antè præstiterat monachum, prorsus exueret: imò verò tanquam Pontificem habuisse eũ basilicam suã, Ecclesiam videlicet B. Mariæ, & non longè ab ea domum Pontificiam; tanquam monachum verò oratorium suũ siue monasteriolum habuisse extra vrbem, palude sic obsitum, vt adiri nõ facilè posset à populo. Expressit Alcuinus, situm fuisse propter littus Crientionis fluuioli, vt ipsa vrbe & situ locorum longa temporum intercapedine, nunc admodum licèt dissimilibus, etiãnum agnoscas situm Vedastinę domus; agnoscas simul sanctissimos & antiquissimos ortus monasterij, quos repetas ab an. Domini quingẽtesimo tricesimo; quãdo pietate monachũ, vigilia & verbo Episcopum Vedastus se præstare cœpit Atrebatibus. Hunc etenim annũ insignẽ & venerabilem esse debere Atrebatibus beati Patris Vedasti aduentu, ex annis

gestæ

gestæ Pontificalis prouinciæ, quam obtinuit annis quadraginta, & ex designatione anni, qua vitam mortalem cum immortali cõmutauit, cõstare iam diximus. Ne aũt de ingenio situve loci tergiuersari quis possit, rem cùm Alcuinus in S. Vedasti historia cap. II. tum Fulbertus in S. Autberti vita ijsdem verbis designant scribentes, *Autbertum aurora rubente, orientem versus intendentem, vidisse eminus trans fluuiolum, qui Crientio vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri, in quem postea locum Autbertus Vedastum transtulerit*. Orbatum enim fuit suo parente monasteriolum Vedastinum ad septimum vsque ab eo Pontificem Atrebatensem Autbertum. Atque ita iacuere sacra ossa cineresque S. Patris in Ecclesia B. Mariæ annos circiter XXCVII. etsi corruptis transpositisque ac perturbatis numeri notis perperam legitur in Catalogo Episcoporum Atrebatensium CXVIII. Exemplar libelli de virtutibus Vedasti (quem fratres monasterij Vedastini collegerunt) habet eundem numerum CXVIII. cùm alia exẽplaria monasterij nostri, nominatim is liber, qui ab integumento suillo vocatur *Le huye*, habeant CXXVIII. Annos dico octoginta septem, vel octo, ad annum videlicet Domini 6 8. quo anno nõ modò liber de virtutibus Vedasti, sed & Sigebertus in Chron. an. 638. & Massæus in Chron. Cameracensi Vedastum ab Autberto translatum.

latum testãtur, cùm Autbertus monasterium S. Vedasti egregiè auxisset.

Quod quidem postea, B. *Vindiciano* Episcopo satagẽte, à *Theodorico* Galliæ Rege, sub annum Domini 688. sic auctum, instructum ac dotatũ est (dum necem Leodegario, sanctisq; alijs viris illatam insigni pœnitentia eluere Rex cupit) vt tanto splendore perstricti, nõnulli tenues illas origines, primaq; principia Vedastini monasterij non indagauerint, illiusque conditorem *Theodoricum* crediderint: eo fortassis etiam commoti argumento, quòd tum primum Abbatem monasterio Vedastino præfectum ferant, qui & fuerit Blandiniensis Abbas. sed rectè potuit nouellus & non magnus grex à Priore seu Præposito, vel pio aliquo Patre non paucis regi annis, inter ceteros ab ipso Autberto, quẽ par est simul patrem sese præstitisse, & conditorem, siue amplificatorem. Quod de B. *Amando* Tungrensi Episcopo, primo suo conditore tradunt Blandinienses: neque istud nouum aut mirũ videri debet. Primò .n. videmus plerisque in locis sensim coaluisse ciues, antequã vel vrbẽ conderent, vel magistratum crearent. Cuius illustre habemus exemplũ in ciuitate & Rep. Venetorum, quæ primò varijs sese Tribunis credidit, antequam sibi necessarium Ducem ac Principem crederet aut crearet. Ita Franci & pleriq; alij populi sub Ducibus diu egerũt, antequam sibi Regem crearent.

Errore

Errore itaq; numeri temerè creditum eſt, translatum eſſe Vedaſtum anno Domini 688. Cùm .n. ſcriptum eſſet, tranſlatum eſſe an. 88. is numerus creditus eſt deſignare nati Seruatoris annum, omiſſo maiore numero. Cumq; temerarius aliquis addidiſſet 600. irrepſit error à paucis animaduerſus, tranſlatum eſſe Vedaſtum anno Domini 688. cùm is numerus octoginta & octo annorum, non Chriſti nati annos, ſed annos obitus Vedaſti vſq; ad tranſlationem exprimeret. Numerantur enim ab anno Domini quingenteſimo ſeptuageſimo, quo obijt Vedaſtus, ad ſexcenteſimum quinquageſimum octauum, quando idem tranſlatus eſt, anni omninò 88. Qui quidem numerus expreſſus fuiſſe creditur hiſce notis, & in hũc modũ diſpoſitis XXCVIII. quæ ſciolus aliquis non capiens perturbauit in hunc modũ CXXVIII. ſcribens, Vedaſtũ tranſlatũ eſſe an. Domini 698. quando nec *Autbertus*, nec *Audomarus*, nec *Lambertus* ſuperfuiſſe creduntur.

Errorem animaduertit aliquis, & id ſanare conatus eſt, detracta decennarij numeri altera nota; ſed læſit is periculoſiùs, cùm non detrahendæ, ſed tranſponendæ & ſuo ordini reſtituendæ eſſent numeri notæ. Quod dum facimus, Vedaſtum comperimus, tranſlatum anno Domini 658. quod exprimit Sigebertus Gemblacenſis & Maſſæus Cameracenſis, imò & ipſe Alcuinus, de tranſlatione Vedaſti agens, dum ſcribit,

Miracula, quæ tunc gesta perhibentur, & quæ iam per annos fermè centum sexaginta, per merita B. Vedasti patrata sunt, nullo esse stilo memoriæ tradita. Cùm enim Alcuinus hæc ad *Raddonem* Abbatem Vedastinum sub annum Domini octingentesimum decimum quintũ scriberet, si detrahamus huic numero annos fermè centum sexaginta, cum Sigeberto & Massæo, translationi S. Vedasti dicabimus annum Domini circiter sexcẽtesimum quinquagesimum octauum, ipso auctore Alcuino. Resque tota consentit cum anno obitus seu martyrij D. Lamberti, qui in annum sexcentesimum quinquagesimum octauum incidit, quem interfuisse translationi S. Vedasti, cum Autberto & Audomaro, scribit Sigebertus.

Cùm igitur de antiquitate quæritur, tum alia, tum Vedastina; non à splendidissimis quibusque, sed à minimis primisque initijs numerandum est, qualiacunque illa fuerint; quæ, nõ mirum est, si multi prętereant vt obscura, multi non prodant vt minùs illustria. Quanquam si rectè cẽsemus, nec obscurus, nec parum illustris fuit accessus B. Vedasti ad Atrebates, qui gemino statim miraculo claruit, non obscura, nec parũ illustris solitudo, siue oratoriũ, siue monasteriolũ dicas, vbi condi defunctus optabat, dum viueret. Sacer profectò fuit vel tum locus, aut prophanam sepulturã optasse Patrẽ falsò dicemus. Tum dico, vel

vel ſtatim poſt aduentum in prouinciam, ſub annum Domini quingẽteſimum triceſimum, vel cùm prouincia defungeretur, ſub annum 570. Et hæc quidẽ hactenus de Vedaſtini cœnobij origine.

Blandinienſis monaſterij origo.

BLandinienſes primum conditorẽ B. *Amãdum* Epiſcopum Tungrenſem agnoſcunt; quibus ſuffragantur auctor vitæ B. Amandi, Ioan. Molanus, & alij. Neque tamen hic, neq; ille, quo anno id opus aggreſſus ſit, ſcribunt: ſed Catalogus Abbatum Blandinienſium cęptam aſſerit Regis Dagoberti an. XIV. præſidente Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, anno V. Papa Martino. Itaque perperam legitur in eodem Catalogo, cœptum id opus anno Dominicæ incarnationis DCX. cùm Maſſæo & alijs Chronologis Dagobertus regnum inierit ſub annum ſexcenteſimum triceſimum, & Martinus primus Tudertinus (de nullo enim alio hæc poſſunt accipi) Sedem Pontificiam adeptus ſit ſub annum ſexcenteſimum quadrageſimum aut quadrageſimũ tertium, iuxta Onuphrium. Atque ita cœptum oportet hoc opus (vt antiquiſſimã eius euoluamus originem) anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo quarto. Ex quo numero ſcriba temerarius facilè notas aliquot vel ſtudio vel ignauia detraxerit; quod & contigit plurimis in locis dicti Catalogi: multò vt certior de-

beat haberi designatio tẽporis per annos regni Dagoberti & Pręsulatus Martini primi summi Pontificis.

Sanè ratio historiæ ac gestorum B. Amandi non sinit credere Amandum venisse in has prouincias ante tempora Dagoberti Regis, Patris Sigeberti & Clodouei. Quod vel ex eo potest intelligi, quòd scribatur in ea historia, tribus lustris siue annis quindecim egisse in cellula sub cura Austrigisili Episcopi Bituricensis; indeque Romam abijsse: varijs deinde locis per Galliam euangelizasse, inuitum à Rege & sacerdotibus Episcopum esse ordinatum Tungrensem, & cùm loca vel diœceses, ob animarum sollicitudinem, circumiret, audisse pagum esse quendam iuxta fluenta Scaldis fluuij, cui vocabulum est *Gandauum*. Ad quem cùm nullus ire auderet, euangelizandi gratia, per Aicarium Episcopum Nouiomensem impetrasse licentiã à Dagoberto Rege. Et Catalogus Abbatum Blandiniensium disertè scribit beatissimum Amandum tempore, quo sceptra regni Francorum gubernabat Rex fortissimus Dagobertus, prędicationis gratia adijsse Gandẽsis castri territoria.

Ex quibus certè constat, numerum sexcentesimum decimũ pro alio longè posteriore, sexcentesimo videlicet quadragesimo quarto aut alio vicino irrepsisse in Catalogum Abbatum Blandiniensium, & in alias eorũ schedas

das ac membranas. Erunt ad hunc numerum, tanquam ad Lydium lapidem, probādi & restituendi numeri annorum regiminis primorum Abbatum Blandiniensium, quos necesse fuit perturbari, dū è falso principio ducerentur, & ad rem malè constitutam componerétur. Quibus fit, vt illæ numerorū notæ nullius sint auctoritatis, vt nec illi versiculi:

In sexcenteno deno fundauit Amandus
Anno Blandinium, patronum dans ibi Petrum.

Nec dissimilis est error, isq; multiplex, dum idem Catalogus refert, anno incarnati verbi DCC.LIII. & an. 7. Theodorici Regis Hattā cœpisse regere monasterium S. Vedasti, cum cœnobio Blandiniensi: vt minimùm enim detrahenda altera nota centenarij.

Ceterùm non diu Blandiniensibus res lætæ fuerunt, quos vnà cum *Cœlestino* eorum Abbate domo & patria eiectos à Carolo Martello memorat idem Catalogus: adeò vt anno 765. exul Romæ Cęlestinus obierit, Clericis & Canonicis in locum monachorum succedentibus per annos centum & decem: vt habet idem Catalogus, vsq; ad tēpora Ludouici Pij, qui filius fuit Caroli cognomento Magni, à quo proferunt primas exemptionis & immunitatum litteras. In quibus id subit admirari, quomodo dicat Ludouicus genitorē suum Carolum & antecessores monasteriū istud sub plenissima defēsione & immunitatis tuitione habuisse, si tādiu monachi abfuere,

nisi hic, quod & alibi sępius fieri animaduerti, templa & collegia Canonicorum, monasteria dicantur.

Surrexit autem posteà Blãdiniensium gloria, à *Balduino Ferreo* Comite Flandriæ translatis ad eos S. *Amelbergæ* virginis reliquijs, anno Dominicæ incarnationis 870. vt idem habet Catalogus. Monachos enim non memorat restitutos idem Catalogus, nisi ab *Arnulpho* Comite Flandriæ; quem & præfecisse monasterio illi (quasi post longum interregnum) S. *Gerardum Cellensem* annotat, cuius regiminis annum tertium insignem fuisse aduentu sanctorum corporum *VVandregisili*, *Ansberti* & *Vulfranni* in Blandiniense monasterium, tradunt. Quod etiam habet Ioannes Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij, addens id contigisse anno 944.

Bertiniani monasterij origo.

BErtiniani ad S. *Bertinum* sui monasterij referunt principium, assignantque huius operis initio annũ Christi nati sexcentesimum quadragesimum, & tempora Martini Papæ primi. Dicunt enim S. Bertinũ, sub annũ Dñi quingẽtesimum nonagesimum (Chronica illorum habent, anno quingentesimo nonagesimo vel circiter, Catalogus Abbatum, anno quingentesimo octuagesimo octauo) pueritiam & adolescentiã egisse in monasterio Luxoui-

xouienſi, & à Clotario cum ſocijs exceptum, diu apud eum in aula egiſſe; adijſſe deinde illum cum ſocijs S. Audomarum tunc Morinenſem Epiſcopum; adiutũ eius conſilio, & rebus *Aldroaldi* viri illuſtris ac prædiuitis, inſtituiſſe vetus, quod vocant, monaſterium ſuper fluuium *Agniona* anno Domini ſexcẽteſimo vigeſimo ſexto: ſed anno pòſt decimo quarto, hoc eſt, anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo, quod incommodè eo loco habitaret, migraſſe aliò, aliudque condidiſſe monaſterium, cui & priuilegia immunitatis obtinuerit à *Theodorico* Rege, & in quò mortem obierit & conditus ſit, anno ſexcenteſimo nonageſimo octauo, & vbi ſacræ eius reliquiæ honorentur, translato & recondito eius corpore à beato *Folquino*, anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto, vt ſcribit Molanus ad Vſuardum, decimo ſexto Iulij, vel anno 843. vt Chronica habent Bertiniana, cuius item glorioſa eleuatio contigerit an. Dominicæ incarnationis milleſimo quinquageſimo ſecundo.

Et ſic quidem Bertiniani tradunt. ſed qui fieri potuit, vt anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Bertinus monaſterium vetus & anno ſexcenteſimo quadrageſimo nouum condiderit, cùm ex ipſis Chronicis & Catalogo Abbatum Bertinianorum, itemque ex Molano conſtet, Audomaro Pontifice Morinenſi, veniſſe in eam prouinciam beatum Bertinum? Cùm

Cùm enim Audomar⁹ (vt habet eius historia, quam à Folcardo Bertiniano monacho scriptam tradunt Surius & Molanus) postquam triginta annorum spatio Morinensis seu Teruanẽsis Ecclesia tanto esset potita Pręsule, mortem oppetierit; oppetierit autem (vt & ipsa Bertiniensia habẽt Chronica, etsi in quibusdam exemplaribus corruptus est numerus, & Iacobus Meyerus & Ioannes Molanus) anno Domini sexcentesimo nonagesimo quinto, effici videtur, D. Bertinũ in hanc prouinciam venisse circa annum Domini sexcentesimum sexagesimum quintum, vt vel primo Pontificatus S. Audomari anno aduentum S. Bertini adscribamus.

Atque ita vt primo aduentus anno vetus monasterium excitauerit Bertinus, nẽpe anno Domini sexcentesimo sexagesimo quinto; secundum verò monasterium, seu id, quod modò exstat, struere cœperit anno sexcentesimo septuagesimo nono.

Lobiensis monasterij origo.

LObienses suos ortus beatis *Landelino* & *Vrsmaro* acceptos ferunt, & in veteri suo Martyrologio sic legunt: *Anno ab incarnatione Domini sexcentesimo tricesimo octauo, Dagoberto seniore Francis principante, cuius filij fuerunt Clodoueus & Sigebertus, Martino quoque Apostolicæ* Se-

Sedi præsidente, Lobiensis Ecclesiæ fundamenta iecit Landelinus, ab Autberto Cameracensi Præsule ex prædone conuersus ad Christum, in foreste regia super Sambram fluuium, & Laubacum riuulum, distante tribus ferè millibus à Listinijs, tunc temporis sede regali, datis à Martino Papa B. Landelino multis Sanctorum reliquijs & ibidem congestis. Sed vt ista nonnihil expendamus, non video quomodo S. Landelinus anno 638. fundamenta iacere potuerit, vitiumque aliquod irrepsisse in notas numeri existimo, quod percurrenti vel leniter historias S. Autberti & S. Landelini luce meridiana clarius euadet. Et primùm quidem scriptor vitę S. Landelini tradit, eum ortum esse temporibus Dagoberti inclyti Regis. Idem Ioannes Molanus tradit. Habet deinde Fulbertus, parētes fonte Baptismatis innouādū & disciplinis sacris imbuēdū B. Autberto tradidisse. Cui cōsentiūt scriptor vitę Landelini, & Ioannes Molanus. Vnde constat ipsum pueritiam & adolescentiam egisse apud S. Autbertum litteris ab eo & bonis moribus imbutum; sed victum aliquando arte dæmonis (quæ hominum est fragilitas & negligentia) cùm in virum euasisset, latronem & prædonem egisse. Reuocatum tandem Autberti orationibus assiduis diuturnam egisse pœnitentiam: sic purgatum ab Autberto in partem cleri adscriptū, profectum inde Romam,

Listinensis seu Liptinensis Synodus inde dicta.

mam, demum redijsse ad Autbertũ, & ab eodem Diaconum & Presbyterum esse ordinatum, tum denique in solitudinem secus fluenta Sãbræ concessisse; vt habet Fulbertus, & ad euacuãdam prioris vitę maculam, in locis, quæ sibi ad refugium & receptaculum latronum parauerat, apud Laubias exstruxisse monasterium in honorem B. Petri Apostoli, quod & regijs dotarit muneribus, ac villarum familiæque repleuerit copia, & cui quidquid Regum munificentia passim per Francorum acquisiuit regna, delegauerit. De his & alijs vide plura in Balderici Chronico Cameracensi.

CAPVT XXVIII.

Congregatio Fuliensium monachorum, instituti Cistertiensis per Ioannem Barrerium instituta.

SExcenta amplius eaque illustria in regno Galliæ sunt monasteria, Abbatiali dignitate illustria. Sed vnum hoc imprimis omnes boni deplorant, pleraque non regulares, sed Commendatarios, vt vocãt, Abbates habere. Quo fit, vt non modò rigor disciplinę monasticæ soluatur, sed & prædia ac vectigalia annua paulatim diminuantur, ac pereant. Exstat ea de re insignis libellus monitorius *Ioannis*

Filesaci

Filesaci Theologi Parisiēsis, nobis amicissimi, quem *Ecclesiæ Gallicanæ veteris* (adde & *nouæ*) *Querelam* inscripsit. Cæterum Abbates inter Cōmendatarios nostra ætate fuit & *Ioānes Barrerius*, Gallicè *de la Barriere*, vir nobili genere natus: cui quidem cùm Abbatia Fuliensis, instituti Cistertiensis, apud Tolosam sita, in Commendam, vt vocant, esset collata, animū reuocans cœpit de monastica vita amplectenda seriò cogitare. Itaque ex Commendatario factus Abbas regularis, suos primùm sodales ac monachos ad veteris disciplinæ obseruantiam exemplo ac monitis reuocauit. Secuti mox alij: adeo quidem, vt *Henricus III.* Galliæ & Poloniæ Rex, increbescente fama commotus, ipsum Barreriū ad se euocarit. Venit itaque Lutetiam cum socijs sexaginta anno 1587. & à Rege ipso in saltu Vicenarum die XI. mensis Iulij (qui S. Benedicti venerationi sacer est) humanissimè exceptus est. Inde cum suis VIII. Septembris (qui Deiparæ natalis) migrauit ad monasterium ipsis ab eodem Rege extructum in Parisiensi S. Honorati suburbano, haut procul à Cœnobio Capucinorum. Obijt autem Barrerius Romæ anno Christi M. D C. ætatis sexto & quinquagesimo, non sine opinione sanctitatis. Multa vir bonus à suis passus fuit, vt & olim *S. Benedictus*, & *S. Robertus* Abbas I. Cistertiensis, alijque piarum familiarum Principes.

Gestant

Gestant autem Fulienses vestem prorsus candidam, nudis incedunt pedibus, vt Capucini & Carmelitæ discalceati: abstinent ab esu carniū & piscium; non habent Abbates, sed Priores tantummodo: odeium siue chorū habent retro aram summam, vt à populo prorsus secreti, Deo liberiùs vacare queant.

Habent autem Fulienses Parisijs & alibi in Gallia Conuentus plurimos, quibus nuper etiam accessit monasteriū Fontanis, in loco natali S.Bernardi, apud Burgūdos per Fulienses excitatum à fundamentis. Habent & insigne cœnobium Romæ.

CAPVT XXIX.

Ordines militares varij sub regula S.Benedicti militantes.

PRæter ordinem olim Equestrem Templariorum, quibus vitæ Regulam S. Bernardus præscripsit, à me editam in Chronico Cisterciensi, militant hodie sub S. Benedicti signis ordines *Calatraua* in regno Castellæ, *Alcantara* in regno Legionensi, *Montesia* in regno Valentiæ, *Christi* & *Auisij* apud Lusitanos, *S. Mauritij* apud Sabaudos, & *S. Stephani* apud Etruscos.

CA-

CAPVT XXX.

Ordo Equitum Christi in Portugallia.

PORtugallia, siue, vt alij scribunt, Portugalia, (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Lusitania fuit) secúdùm Oceanum occiduum fusa, & Anâ ac Minio fluminibus ad meridiem septétrionesque comprehensa, longitudine quadringéta millia passuum colligit, multò minori latitudine, & vbi latissimè se pandit, centum amplius sexaginta millium, vbi arctissimè coit, octoginta. Diuisa est in partes tres, Cistaganam, Transtaganam, & tractum eum, qui Minio, Durioque continetur, prouentus lætissimus, vbi Bracara sita est: citra Tagum autem *Olisipo*, vltra Tagum spectatur *Ebora*, metropolitanæ vrbes. Ceterùm vt in Castella, sic & in Lusitania varij ordines militares numerantur: quorum quidem militum incredibili virtute freti Reges Lusitaniæ, Mauros olim ea prouincia expulerunt, auorumque ætate Africam, Asiam atque alio sub Sole iacentes Indos, sibi tributarios fecerunt, vereque religionis lumé in remotissimas nationes intulerunt. Hos inter ordines apud Lusitanos is nobilissimus cēsetur, qui *Christi* nomine insignitur. Cuius quidem sodales, ex Cistercensium instituto viuentes,

nigrâ veste vtũtur, & cruce partim rubrâ, partim candidâ. Sũt .n. quatuor eius brachia per medium discissa, & lineâ candidâ intersecante distincta: sic vt in singulis brachijs binæ cruces appareant, rubra & candida. Militaré hunc ordinem, aduersus Mauros, institutum, Ioannes XXII. Pont. Max. anno ferè cIↃ. CCC.XVIII. cõfirmauit. Huic sodalitio Tẽplariorum nuper deletorum opida, prædia, ędesq; à Dionysio Lusitaniæ Rege sunt adtributæ. Primarium ordini domiciliũ ad Castrũ Marinũ, in diœcesi Eluensi, est constitutum: inde posteà *Tomarium* migratum. Sic ferè Mariana in historia Hispaniæ: at Panuinius in Chronico suo Ecclesiastico, ad annũ 1325. ista refert. Exstant huius ordinis Regulæ, seu Cõstitutiones, itemque Priuilegia Lusitanè edita Olisipone an. 1607. à Reuerendissimo Damiano, Priore conuentus Tomariensis, & generali eiusdem ordinis Pręfecto. Connubij porrò facultatem ab Alexandro VI. Pont. Max. militibus istis concessam lego.

CAPVT XXXI.

Ordo Equitum Montesiæ, *in regno Valentiæ.*

IAcobo II. Aragoniæ, Catalauniæ, & Valentiæ Rege, per legationes agente, ex prædijs, quæ Templarij in Valentino tractu obti-

obtinuerant, noua vt militia constitueretur, anno cIↃ. CCC. XVII. à *Ioanne XXII.* Pont. Max. est impetratum: Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magistro veste candidâ, & *cruce rubra* insignis, simplici planaque *Cistertiensis* instituti *legibus* viuere mandatum est. Præcipua sedes *Montesia*: vnde & militiæ nomen. Infestabant id temporis Mauri littora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites isti operam præstitere. Primarius huius instituti auctor fuit *Guilielmus Erilius*, vir fortissimus. Solent autem Equites isti in vexillis militaribus cruces viridi nigroque colore distinctas, in scutis autem vestibusque *cruces*, vt dixi, *rubras* præferre, & castitatem omnes profiteri.

1317.

Hier. Surita li. 2. Rerum Arag.

Inter Magistros ordinis meritò laudatur *Iacobus* Iacobi Aragoniæ Regis filius: cui Eleonora Alfonsi Castellæ Regis filia cùm esset desponsata, eâ intactâ relictaque, militiæ huic nomen dedit, laudatissimeque præfuit. Nostrâ ætate *Iacobus Falco*, Valentinus, huius ordinis miles, insignem *de quadratura circuli* commentarium edidit Antuerpiæ typis Bellerianis. Plura qui volet, Ioannem Marianam, Consaluum, Argotem, Molinam, libro de nobilitate Hispaniæ, aliosq; eius prouinciæ historicos consulat. Qui quidem vnanimi con-

sensu, non ad *Iacobi I.* cognomento *Fortunati*, vt Volaterranus, Bugianus, & Morigia per errorem fecere, sed ad *Iacobi II.* Aragoniæ Regis tempora huius equestris militiæ initia referunt. Ex quibus patet & Onuphrium Panuinium, in Chronico suo Ecclesiastico, ista perperam anno Christi 1233. adscribere.

CAPVT XXXII.

De Ordine Equitum Sancti Mauritij & S. Lazari, in Sabaudia.

EQuites S. Lazari multa olim habuerunt prædia apud Sabaudos & Pedemontanos. Quæ omnia posſident hodie Equites Ordinis S. Mauritij & Sancti Lazari, concedente Gregorio XIII. Papa; qui vtrumque ordinem coniunxit anno 1572. & Ducem Sabaudiæ
1572. perpetuum creauit Magistrum generalem. Gestant Equites isti crucem viridem limbo candido conclusam, in cuius medio altera crux, videlicet S. Mauritij visitur.

Fuit autem ordo S. Mauritij sub regula Cisterciensi anno 1572. XVI. Kalend Octobris per Gregorium XIII. contra Hæreticos institutus, seu renouatus: cum quo idem Pontifex anno eodem, Idibus Nouembris, vniuit & annexuit ordinem Equi-

quitum Hoſpitalariorum ſancti Lazari Hieroſolymitani, ſub regula Sancti Auguſtini militantem: vt ex dicti ordinis vtriuſque vniti Priuilegijs Taurini editis certò didici.

CAPVT XXXIII.

Ordo monachorum S. Baſilij, in Græcia, Aſia, alijſque Orientalis Eccleſiæ prouincijs olim florentiſsimus.

BAſilius nobilis Cappadox, Athenis vnà cum Gregorio Nazianzeno, ſibi amiciſsimo, ſæcularibus litteris, deinde in monaſterio ſacris mirabiliter eruditus, eſt breui curſum fecit ad omnem doctrinæ & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen inuenerit. Is ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium in Pontum accerſitus, eam prouinciam à Chriſtianis inſtitutis aberrantem ad viam ſalutis reuocauit: mox ab Euſebio Cęſareæ Epiſcopo ad erudiendam eam ciuitatem adiutor adhibetur: in cuius locum poſtea ſucceſſit. Is filium Patri conſubſtantialem eſſe in primis defendit, ac Valentem Imperatorem ſibi iratum miraculis adeò flexit, vt incumbentem ad volun-

tatem eijciendi ipsum in exilium, à sententia discedere coegerit.

Nam & Valentis sella, in qua facturus decretum de eijciendo è ciuitate Basilio, sedere volebat, confracta est: & tribus ab eo calamis adhibitis ad scribendam exilij legem, nullus eorum reddidit atramentum: & cùm nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextra dissolutis neruis tota contremuit. His commotus Valens chartam vtraque manu conscidit. Ea autem nocte, quæ ad deliberandum Basilio data est, Valentis vxor intimis est cruciata doloribus, & vnicus filius in grauem morbum incidit. Quibus ille perterritus iniquitatem suam recognoscens, Basilium accersit: quo præsente puer cœpit conualescere: verùm vocatis à Valēte ad visendum puerum Hæreticis, paulò pòst moritur.

Abstinentia & continentia fuit admirabili: vna tunica contentus erat, in ieiunio seruando diligentissimus, in oratione assiduus, in qua sæpe totam noctem consumebat. Virginitatem perpetuò coluit. Monasterijs exstructis ita monachorum institutum temperauit, vt solitariæ atq; actuosæ vitæ vtilitates præclarè simul coniungeret. Multa eruditè scripsit, ac nemo, teste Gregorio Nazianzeno, sacræ scripturæ libros veriùs aut vberiùs explicauit. Obijt Kalendis Ianuarij, cùm

tantū

tantùm ſpiritu viuens, præter oſſa, & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur.

Sancti Baſilij regulam hodieque ſequuntur omnes monachi Græciæ, & aliarum prouinciarum Orientalium.

CAPVT XXXIV.

De monachis ord. S. Baſilij in Italia, Hiſpania, & alibi.

NIlus Roſciani in Magna Græcia non infimo loco natus, parentibus orbatus, licèt à teneris annis ingenij acumine, & moribus præſtaret, adoleſcens tamẽ, diaboli ſuggeſtione, ſtuprum commiſit: cuius peccati mox eũ adeò pœnituit, vt omnibus relictis, & facultatibus pauperibus diſtributis, ad monaſterium S. *Mercurij*, ordinis Sancti Baſilij apud Taurianum, in quo SS. *Fãtinus, Lucas, Zacharias*, & alij ſanctitate inſignes ea tempeſtate habebantur, veſtem monachalem induturus accederet. Verùm cùm regionis Dominus ad monachos ne illum reciperent, ſcripſiſſet, in monaſterio S. Naſarij, quod hodie S. *Philareti* nominatur, fit monachus, eam vitæ auſteritatem complexus, vt ſolis herbis & pomis veſceretur. Spiritu prophetiæ clarus, cuidam Principi ſe diu victurum, & multa

facturum iactanti, mortem citam, quæ illi post decem dies contigit, prædixit. Maiorem affectans perfectionem, in specu montis, Parmæ oppido imminentis, apud monasterium S. Mercurij, orationibus, vigilijs, ieiunijs, meditationibus, detecto capite & nudis pedibus incedens, diu operam dedit, libris SS. Ioannis Chrysostomi, Basilij, & Gregorij Nazianzeni assiduè volutatis. sępius biduo & triduo, & eo amplius cibo abstinebat. Dũ oraret, lacrymas effũdere atq; in extasim rapi solit' erat. Multis à dæmone insidijs expetitus, dum in Ecclesia cum S. Fantino psalleret, lethale vulnus accepit. Calabrię vastationem, à Saracenis postea factam, multò antè prædixit. Adeo humilis fuit, vt sacris noluerit initiari, & Roscianensem Episcopatum respuerit. Cùm ante Crucifixum oraret, illum sibi benedicentem vidit. Apud Caietam, in cœnobio eiusdem ordinis annos decem, & apud monasterium Casinum diu commoratus, quo tempore Gregorius V. Pontifex Maximus à Crescentio Consule Romano sede pulsus, eidẽ ab Othone Imperatore restitutus est, Romam venit, à Pontifice & Imperatore, qui illi obuiam ad Asinariã portam processerant, humanissimè acceptus. Nilus tandem Tusculum veniens, ibi monasterio, quod *Crypta Ferrata* dicitur, exstructo, reliquum trãsegit vitæ, & anno ætatis nonagesimo quinto migrauit è vita, ibidem sepultus. Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.

Est

Est autem Crypta Ferrata, vulgò *Grossa Ferrata*, apud Tusculum vrbem sita, caput monasteriorum ord. S. Basilij per Italiam.

Sūt & in Hispania aliquot cœnobia monachorum ord. S. Basilij, Latina lingua in sacris vtentium.

CAPVT XXXV.

Ordo Cartusianorum, à S. Brunone excitatus.

BRuno Coloniæ Agrippinæ claris parentibus ortus, dum Lutetiæ Parisiorum litteris operam nauaret, horrendo prodigio ad religionem conuersus est. Cùm enim Doctoris cuiusdam litteratura & moribus eximij defuncti exequiæ in Ecclesia celebrarentur, illaque verba, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates*, decãtarentur, mortuus, omnibus qui aderant audientibus & stupentibus, capite eleuato, alta & horrenda voce dixit, *Iusto Dei iudicio accusatus sum*, caputque reposuit. Dilata in crastinum sepultura, totaque penè ciuitate confluente, vbi ad eadem verba ventum est, is rursum capite erecto ait, *Iusto Dei iudicio iudicatus sum.* Omnibus spectaculum admirantibus, placuit diem tertium expectare; quo adueniente, repetitis exequiarum preci-

bus, ad eadem verba defunctus attollens caput, dixit, *Iusto Dei iudicio condemnatus sum.* Quæ res inter cæteros *Brunonem*, qui præsens tanto spectaculo interfuerat, ita perterruit, vt accersitis Sodalibus *Landuino, Stephanis* duobus, *Hugone*, qui solus erat sacerdos, *Andrea* & *Guarino* laicis, longa oratione persuaserit, inter alia illud Gregorij Papæ adducens, *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit*, vt mox sæculo dicentes vale, locum peterent pœnitentiæ. Quare ad *Hugonem* Gratianopolitanum Antistitem venientes, locum cum benedictione intra altissimos montes, *Cartusiam* nomine obtinent: ibique vitam sub Brunonis disciplina angelicam duxerunt. Anno 1084. Euocatur interea Bruno à *Gregorio II*. Pontifice, qui eius discipulus fuerat, socijs eius recessum ægrè ferentibus & flentibus, quibus postea Landuinus præfectus fuit. Bruno autem Episcopatu Rotomagensi recusato curiæ pertæsus, cum socijs in Calabriam proficiscitur, & in Turrensi solitudine Scyllaciensis diœcesis, aliquandiu vitam egit: donec *Rogerius* Comes Calabriæ, fama sanctitatis tractus, ad eum visendum veniens, basilicam S. Mariæ & S. Stephani, cum adiacentibus prædijs ei largitus est; quam S. Bruno impensis à Comite suppeditatis magnificè extruxit. His & alijs rebus gestis, multisque clarus miraculis, sanctus vir vitæ terminum adesse præsentiens,

tiens, conuocatis fratribus, & totius vitæ suæ cursu enarrato, eos ad obseruantiam regulæ hortatus prid. Nonas Octobris anno salutis 1101. efflauit animam, in æde S. Stephani sepultus. Ad cuius tumulum fons viuus scaturijt, adeò morbidis salutaris, vt cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi munditiem, & varijs alijs morbis oppressi sanitatem inde receperint.

In Diuos relatus est à Leone X. Papa.

De Carthusianorum ordine, monasterijs, ac viris doctrina illustribus scripsere Petrus Dorlandus, Petrus Sutor, Arnoldus Bostius, Theodorus Petreius, Aub. Miræus, & alij.

CAPVT XXXVI.

De Sanctis ac Beatis ord. Cartusianorum.

S. Hugo, Episcopus Gratianopolitanus, & in ordine Cartusiano fundando cooperator an. 1132. die 1. Aprilis obijt, ab Innocentio II. in Diuos relatus. Exstat vita eius apud Surium, per Guidonem Castrensem, V. Generalem Præfectus ord. Cartusiani.

S. Anthelmus, primùm Cartusianus, postea Bellicensis Episcopus, an. 1162. viuere desijt, Rom. Martyrologio ad diem 26. Iunij adscriptus: exstatque vita apud Surium.

S. Hu-

S. Hugo, ex Cartusiano Lincolniensis in Anglia Episcopus, obijt anno 1200. Romani pariter Martyrologij tabulis adscriptus, & à Surio celebratus. De eodem vide Bostium & Sutorem.

B. Nicolaus Albergatus, ex Cartusiano Episcopus Bononiensis & Cardinalis, anno 1443. obijt. Vitam eius à Iacobo Zeno, Poggio Florentino & Carolo Sigonio scriptam publicauit anno 1618. Georgius Garnefeltius Cartusianus Coloniæ. Ad calcem libri multos addidit Beatos ord. Cartusiani.

Præter recensitos à Petro Canisio in Martyrologio Germanico isti recensentur.

31. *Mart.* B. Lauduinus, S. Brunonis in Generalatu successor.

27. *Iulij* B. Guido Castrensis, V. Generalis.

1. *April.* B. Hugo Archiepiscopus Viennensis anno 1138.

17. *Dec.* B. Bernardus, Prior Portarum, cui S. Bernardus sermones in Cantica Canticorum dicauit.

14. *Iun.* B. Basilius VIII. & B. Iancelinus X. generalis.

26. *Febr.* 4. *Martij* B. Boso, XVI. Generalis.

15. *Dec.* B. Ioannes Tornerius, Procurator Cartusiæ maioris an. 1336.

30. *Sept.* B. Iacobus Viuiacus, XX. Generalis, obijt an. 1362.

30. *Apr.* B. Margareta, Priorissa in Cartusia monialiũ dioe-

diœcesis Lugdunensis, floruit an. 1305.

B. Beatrix monialis vixit eodem loco ac tempore. 13. *Febr.*

B. Stephanus ex Cartusiano Episcopus Diensis, obijt an. 1213. à Surio laudatus. 7. *Sept.*

Finis Libri secundi.

ORDI-

ORDINVM MENDICANTIVM ORIGINES,

Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, & aliorum,

LIBER III.

CAP. I.

Quattuor ſunt Ordines Mendicantium primarij.

ETsi multæ ſint Religioſorum hominum Cõgregationes priuilegijs Mendicantiũ gaudentes; quattuor tamen primarij cenſentur Mendicantium Ordines, videlicet *Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum* & *Carmelitarum*. Ex his tres priores, non modò per Europam, ſed etiam per Indiam Orientalem & Occidentalem, plurimos habent conuentus, magno Religionis Chriſtianæ commodo atque augmẽto.

to. Sed & Carmelitæ Discalceati, Patrum memoria, per B. *Teresiam* virginem Hispanam, ad veteris disciplinæ cultum excitati, magno animarum zelo, in vtramque Indiam, atque ipsam Persiam penetrarunt. In qua quidẽ Persiæ prouincia sedulam quoque Euangelicæ prædicationi operam nauant Augustiniani Eremitæ; vt Franciscani potissimùm in Syria, AEgypto, Græcia, alijsque Turcici Imperij prouincijs præstant.

CAPVT II.

Ordo Prædicatorum per S. Dominicum institutus.

DOminicus Calarogæ in Hispania, ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiȩ liberalibus disciplinis & Theologiæ operam dedit: quo in studio cùm plurimũ profecisset, priùs Vxonensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Huius mater grauida sibi visa est in quiete continere in aluo catulũ, ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somno significabatur, fore vt splendore sanctitatis ac doctrinæ eius gentes ad Christianam pietatẽ inflammarentur. Veritatem exitus comprobauit: id enim & præstitit per se, & per sui ordinis socios deinceps est consecutus.

Huius autem ingenium ac virtus maximè enituit in euertendis Albigensibus hæreticis, qui

qui perniciosis erroribus Tolosates peruertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Postea Romam venit ad Lateranense Concilium cum Episcopo Tolosano, vt ordo, quem instituerat, ab Innocentio tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, *Dominicus* hortatu Pontificis ad suos reuertitur, vt sibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio tertio, qui proximus Innocentio successerat, confirmationem ordinis Prædicatorum sub regula sancti Augustini impetrat. Romæ autem instituit monasteria, alterum virorum, mulierum alterum. Tres etiam mortuos ad vitam reuocauit, multaque alia edidit miracula, quibus ordo Prædicatorum mirificè propagari cœpit.

Verùm, cùm eius operâ vbique terrarum monasteria iam ædificarentur, innumerabilesque homines religiosam ac piam vitam instituerent. Bononiæ anno Christi ducentesimo vigesimo primo supra millesimum, in febrim incidit: ex qua cùm se moriturũ in-
1221. telligeret, conuocatis fratribus & alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam & integritatem cohortatus est. Postremò charitatem, humilitatem, paupertatem, tanquam certum patrimonium eis testamento reliquit: fratribusque orantibus, in illis verbis, *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli*, obdormiuit in Domino, octauo Idus Augusti: quem postea

ftea Gregorius Nonus Pontifex retulit in Sã-ctorum numerum.

Hiſtoriam ordinis Prædicatorum varij ſcripſere, præſertim lingua Hiſpanica: quibus in regnis is ordo potiſſimum floret, & primas inter ceteros quodammodo obtinet.

De initio eiuſdem ordinis Geraldus Lemouicenſis, ad B. Humbertum V. Magiſtrũ Generalem Latinè ſcripſit: quem librum gaudemus à Dominicanis fuiſſe typis publicatum Duaci anno 1619. hoc titulo: *Vitæ fratrum Ord. Prædicatorum, à Gerardo Lemouicenſi ante annos 300. conſcriptæ.*

Eiuſdem ordinis Chronicon, & Bibliotheca de Scriptoribus Dominicanis, exſtãt Pariſijs anno 1585. edita, auctore Antonio Senenſi Luſitano.

CAPVT III.

De feſto ſanctiſsimi Roſarij B. Virginis Mariæ.

CVM Albigenſium nefaria hæreſis, ſacroſanctæ matris Dei dignitati potiſſimùm infeſta, in regione Toloſatium impiè graſſaretur, *Dominicus*, qui eo tempore Prædicatorum Ordinis fundamenta iecit, diuino incenſus ardore, Toloſam ad debellandos hæreticos, & fidem Catholicam propagandam ſe-

contulit. Vbi cùm omnia hæreſum ac vitiorum incendio deflagrare vidiſſet, ad ſacram anchoram beatiſſimam Virginem ſe cõuertit, precibus eam aſſiduis interpellat, vt tantæ malorum inundationi ſua benignitate ſubueniat.

Admonet ipſum diuinitus cęlorũ Regina, ac iubet, vt Roſarium populus omni mentis feruore prædicet: Hoc eſſe vnicum ac ſingulare ad euertendas hæreſes, & vitia exſtinguenda præſidium.

Eſt autem Roſarium ſiue Pſalterium, ſacra quædam formula precandi Deum, in honorẽ Mariæ: qua, centies & quinquageſies recitata Angelica ſalutatione, inſtar Dauidici Pſalterij, & cuilibet decadi interiecta Oratione Dominica, per 15. decades quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria pijs meditationibus percenſentur. Huius autem adeò præclari inuenti, beatiſſima Deipara edocente, auctorẽ fuiſſe B. Dominicum certum eſt, quod etiam Rom. Pontifices Leo X. Pius V. Gregorius XIII. ac Sixtus V. Apoſtolicis diplomatibus profitentur. Cœpit ergo ſaluberrimum Roſarij inſtitutum per B. Dominicũ, eiuſque fratres Prędicatores, incredibili cum animarum fructu, vbique propagari, erectęq; ſunt eiuſdem complures Societates.

Sed B. Dominico morte in cœlum recepto, cùm celebris conſuetudo, vel hominum negligentia, vel dæmonis arte paulatim cœpiſſet

pisset excidere, vt penè iam exstincta videretur, sacratissima Virgo immenso circumdata lumine, Fratri *Alano* eximio concionatori se visendam exhibuit: atque monuit, vt tum ipse, tum eius socij Prędicatores collapsam sacri Rosarij deuotionem totis viribus restituere conarentur. Siquidem hoc genus orandi prõptum ac facile, esse sibi gratissimum, ad impetrandam diuinam misericordiam accõmodatissimum, populis salutare, & contra quæuis aduersa præsens auxiliũ. Sed & Priorem Cõuentus Prædicatorum Coloniæ ciuitatis eadẽ sanctissima Virgo ad eundem instaurandum sacrum ritum, cùm se illi fecisset conspicuam, vehementer accendit.

Vix verbis exprimi potest, quantũ prædicatione & opera FF. Prædicatorũ diuina ista deuotio in Christiano populo vbiq; promouerit: quot quãtæq; in honorẽ Dei genitricis sub Rosarij nomine fundatæ sint Societates, in quas Reges, Principes, Imperatores, atque Ecclesiarum Præsides pro summo ducũt honore cooptari. Romani etiã Pontifices innumeris indulgentijs, priuilegijs, fauoribus, atq; gratijs sacrum istud Rosarij institutum prosequentes egregiè ornarunt. Sed inprimis ipsa beatissima Dei parens Maria, quod ipsa mundo contulit salutare Rosarij donum, mirificè fouet, & auget, cultores eius ingentibus afficit beneficijs, & clarissimis miraculis illustrat.

Inter quæ illud meritò ſingulariſſimum celebratur, quo Dei genitricis auxilio, ſacris Roſarij precibus implorato, anno Domini
1571. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, ſeptima Octobris, quæ Dominica fuit, ad Naupactum Achaici ſinus, de Turcarum claſſe, viribus & numero longè maiore, à Chriſtianis Principibus nauali bello, maxima poſt hominum memoriam victoria parta eſt. Cùm enim ea die vniuerſum per Chriſtianum orbem Sodalitates Roſarij pias preces, ac proceſſiones de more haberent, ab omnibus fidelibus piè creditum eſt, eiuſmodi preces ad obtinendam Dei genitricis opem, pro Chriſtiana claſſe plurimum profuiſſe. Quod & Gregorius Tertiusdecimus litteris Apoſtolicis apertè teſtatus eſt.

Quocirca ſanctiſſimus Pontifex Clemens Octauus, Apoſtolica auctoritate feſtum Roſarij Dominica prima Octobris, à Gregorio Tertiodecimo inſtitutum, publicis Eccleſiæ tabulis his verbis inſcribendum præcepit: *Die ſeptimo Octobris commemoratio ſanctæ Mariæ de Victoria, quam Pius Quintus Pontifex Maximus, ob inſignem victoriam à Chriſtianis bello nauali, eiuſdem Dei genitricis auxilio hac ipſa die de Turcis reportatam, quotannis fieri inſtituit: & Gregorius Tertiusdecimus, prima huius menſis Dominica die, annuam ſolennitatem Roſarij eiuſdem beatiſſimæ Virginis celebrandam decreuit.* Feſtiuis igitur hodie ſacratiſſimam Virginem lau-

dibus

dibus celebramus, quòd & sanctum Rosarium, & per illud innumera nobis beneficia contulerit. Ita legitur in Breuiario ord. Prædicatorum, anno 1603. Romæ & alibi edito.

CAPVT IV.

De Sanctis ordinis Prædicatorum.

PRæter S. *Dominicum* eminent in primis S. *Thomas Aquinas* Doctor Angelicus, qui obijt anno 1274. à Ioanne XXII. Diuis adscriptus an. 1323.

S. *Petrus* martyr, patria Veronensis, anno 1252. pro Christo ab Hæreticis occisus, ab Innocentio IV. in Diuos relatus anno sequenti.

S. *Hiacinthus* Polonus, à Clemente VIII. in cęlites relatus.

S. *Raimundus Pennafortius*, per eundem Papam Sanctorum catalogo adscriptus.

S. *Catharina Senensis*, virgo.

S. *Agnes Politiana*, virgo.

De B. *Alberto Magno*, B. *Gondisaluo*, & alijs penè innumerabilibus Beatis ex ordine Prædicatorum, vide Dominicanæ Historiæ scriptores, & nominatim Abrahamum Bzouium in tomis XIII. & XIV. Annalium Ecclesiasticorum.

De B. Sibyllina Virgine Papiensi.

SIbyllina virgo Papiæ nata, ex Biscossa familia, anno ætatis vndecimo, lumine oculorum orbata, inter sorores, quæ de Pœnitentia dicebantur, ordinis S. Dominici, triennio non sine magno patientiæ & pietatis exemplo vixit. Cùm autem quadam die feruentiùs oraret, vt visum reciperet, quo victũ posset manibus operando comparare, visa est sibi à reclusorio ad Ecclesiam Cathedralem à S. Dominico trahi (à quo opem assiduis precibus implorabat) ab eoque quædam horrenda primùm, deinde iucunda splendidaque ac suaui odore redolentia palatia sibi ostendi. Caduca itaque despiciens, reclusorium annos quindecim nata ingreditur, ex quo bis tantùm egressa fuisse legitur. In eo prioribus septem annis eam pœnitentiam egit, quam quis magis admirari quàm imitari queat. Corpus suum vigilijs, orationibus, ieiunijs, lachrymis, verberibus, quoad sanguis effluerет, affligebat. Hieme nunquam ignem adhibuit, eisdem tamen quibus æstate vestibus induta; lectus illi tabula lignea breuis & angusta, in qua breuissimo somno fessa membra recrearet. Cumque immensis doloribus afficeretur corporis, animo

nimo tamen ex meditationibus & seruorum Dei colloquijs magnam capiebat voluptatem. Claruit & spiritu Prophetico, cùm plura arcana & futura aperuerit. Denique anno reclusionis 64. ætatis 80. migrauit ad sponsum anno salutis 1367. die 19. Martij. In æde sancti Thomæ, quæ est Ordinis Prædicatorum, sepulta, miraculis non paucis fulsit. Sic ferè Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Eius vitam fusè scripsit Donatus Lagus ordinis Prædicatorum, & Papiæ an. 1599. edidit.

CAPVT V.

De Ordine Fratrum Minorum, deque tribus Regulis à S. Francisco institutis.

FRANCISCVS, Asisij in Vmbria natus, patris exemplum secutus, à prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem pro CHRISTI amore flagitantem pecuniam, cùm præter consuetudinem repulisset, repentè eo facto commotus, largè ei misericordiam impertiuit: & ex eo die Deo promisit, se nemini vnquam poscenti eleemosynam negaturum. Cùm verò pòst in grauem morbum incidisset, ex eo aliquãdo cõfirmatus, cępit ardẽtiùs colere officia chari-

tatis. Qua in exercitatione tantùm profecit, vt euangelicę perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquiùs pater, eum ad Assisinatem Episcopum duxit, vt coram illo bonis cederet paternis; qui reiectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subiùngens, sibi in posterum maiorem facultatem fore dicendi, *Pater noster qui es in cœlis.*

Cùm autem illud ex Euangelio audisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque*
Matt.10 *duas tunicas, neque calceamenta:* sibi eam regulam seruandam proposuit. Itaque detractis calceis, & vna contentus tunica, cùm duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum
1209. instituit. Quare Romam venit anno salutis millesimo ducentesimo nono, vt sui ordinis regula ab Apostolica Sede confirmaretur. Quem cùm accedentem ad se summus Pontifex Innocentius tertius reiecisset, quòd in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersiri iussit: benigneque accipiens, omnem eius institutorum rationem confirmauit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes fratribus ad prædicandum Christi Euangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari martyrij occasionem, nauigauit in Syriam: vbi à Rege Soldano liberalissimè tractatus, cùm
ni-

nihil proficeret, redijt in Italiam.

Multis igitur exstructis suę familiæ domicilijs, se in solitudinem montis Aluerni cõtulit: vbi quadraginta diebus, propter honorem S. Michaelis Archangeli, in ieiunio & oratione consumptis, festo die exaltationis S. Crucis, ei Seraphim, crucifixi effigiem inter alas continens apparuit: qui eius & manibus & pedibus & lateri vestigia clauorũ impressit: quę S. Bonauẽtura, cũ Alexãdri IV. sũmi Põtificis prædicationi interesset, narrasse Pontificẽ à se visa esse, literis cõmendauit. His insignibus sũmi in eũ Christi amoris maximã habebat omniũ admirationẽ. Ac biẽnio post grauiter ęgrotãs deferri voluit in Ecclesiã S. Marię Angelorũ: vt vbi spiritũ gratiæ à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Eo in loco fratres ad paupertatẽ, ac patientiã & sanctæ Romanę Ecclesię fidẽ seruandã cohortatus, Psalmũ illũ pronuntians, *Voce mea ad Dominum clamaui*, in eo versiculo, *Me exspectant iusti, donec retribuas mihi*, efflauit animam IV. Nonas Octobris. Quem miraculis clarũ Gregorius Nonus Põtifex maximus in Sanctorum numerum adscripsit, an. 1228. biennio scilicet post obitum. Tanta erat sanctitatis illius apud omnes opinio.

Psal. 141

Anno 1226.

Vniuersi ordinis Franciscani Historiam, quam Seraphicam vocãt, accurratè scripsit Franciscus Gonzaga, primùm generalis Minister, eiusdem ordinis, pòst Episcopus Mantuanus

tuanus, addito Catalogo Prouinciarum ac monasteriorum omniũ dicti ordinis. Quod vtinam reliquorum ordinum, præsertim mẽdicantium, Præfecti generales æmulentur.

De viris doctrina scriptisque illustribus ex illo ordine exstant Henrici VVillotij Athenæ.

Ceterùm S. Franciscus tres Ordines, ac totidem Regulas instituit; vt in die eius festo canitur:

Tres Ordines hic ordinat,
Primumq́; fratrum nominat
Minorum, pauperumq́;:
Fit Dominarum medius,
Sed Pœnitentum tertius
Sexum capit vtrumque.

1. Primus Ordo ann. 1206. institutus, *Conuentuales, Obseruantes, Capucinos,* & *Recollectos* cõplectitur.

2. Secundus Ordo anno 1212. per S. Franciscum similiter institutus, est monialium *Clarissarum,* quarum aliæ dicuntur *Damianisticæ,* aliæ *Vrbanisticæ.* Dicuntur autem Damianisticæ à primo conuentu S. Claræ, qui est S. Damiano sacer. Id nomen habent omnes eæ moniales, quæ mitigationem Regulæ ab Vrbano Papa factam non admiserunt, sed in summo disciplinæ ac paupertatis rigore perstant: quales sunt *Pauperes Clarissæ*, vt vocant,

eant, *Coletanæ* & *Capucinæ*.

E contra *Vrbanistica* dicuntur, quæ Vrbani Papæ mitigationem admiserunt, & à vulgo *Diuites Clarissæ* nunc vocantur, quòd annuos reditus habeant.

Tertius Ordo an. 1221. inchoatus complectitur viros & feminas, domi suæ juxta præscriptum tertiæ Regulæ viuentes. Complectitur quoque Religiosos votis monasticis adscriptos, & tertiam istam Regulam seruãtes. 3.

CAPVT VI.

De Sanctis ordinis Minorum.

INter Sanctos ordinis Minorum, post S. *Franciscum*, eminent S. *Bonauentura* Cardinalis & Episcopus Tusculanus, S. *Berardus* martyr cum socijs, S. *Antonius Paduanus*, *Sanctus Bernardinus*, *Sanctus Ludouicus* Episcopus Tolosanus, *S. Didacus*, *S. Ludouicus* Rex, *S. Elzearius*, *S. Iuo*, & alij, quorum vitas in vnum volumen redactas Antuerpiæ publicandas R. P. Henricus Sedulius curauit. Ceterùm operæ pretium me facturum putaui, si ex Catalogo Sanctorum Italiæ per Philippum Ferrarium edito viros illustres aliquot subnecterem.

De

De S. Guidone Confessore Cortonensi in Italia.

12. Iunij. GVido Cortonæ in Etruria pijs parentibus natus, à puero pietatem & castitatem coluit. Cùm S. Franciscus in eam vrbem venisset, sic eius prædicatione commotus est, vt relictis omnibus, in eius societatem adscribi voluerit, seque in locum solitarium (qui Celle dicitur) receperit: vbi humili domicilio piorum eleemosynis exstructo, cum aliquot alijs, ieiunijs, orationibus, alijsque pijs exercitationibus vitam duxit. Sacris initiatus ordinibus, Assisij prædicationis officium à B. Francisco sibi iniunctum exercere cœpit. Porrò in vrbe Cortonensi doctrina, sanctitate, & miraculis præcipuè claruit, quoad sexagenarius, die mortis triduo antè præuiso, sacris munitus, migrauit ad Christum magno populi concursu ibidem tumulatus. Cùm autem Aretinis Cortonam inuadentibus & diripientibus, sacrista caput B. Guidonis linteo inuolutum in puteum occultandi gratia dimisisset, triennio pòst cùm vrbs & Ecclesiæ ab Aretinis vastatę reficerentur, ingens è puteo illo splendor egrediebatur. Quod cùm triduo perdurasset, clerum & populum ad inquirendum quid hoc esset, impulit. Quare indicta solenni processione, ad puteum accedentes, aquamque haurientes, cum illa caput Gui-

Guidonis inuolutum, minimè madefactum, cum ſcripto ſui nominis extrahunt. Cuius inuentionis feſtiuitas prid. Idus Iunij magna populi deuotione celebratur.

Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, qui addit, de ipſo Officium Eccleſiaſticum recitari ex indulto Gregorij XIII. Pontificis.

De B. Gerardo Ligure, cuius ſacrum corpus quieſcit Panormi in Sicilia.

VAlentiæ in Liguria (quod olim forum Fuluij appellatum eſt) Beati *Gerardi* Ordinis Minorum viget memoria. Is in eo oppido natus, annos 14. contra propinquorum voluntatem, vt vxorem acciperet, hortantium, peregrinatus, in ſolitudine prope Romam aliquamdiu Deo mira abſtinentia inſeruijt. Quod & apud Neapolim cùm feciſſet, in Siciliam profectus, ibi in monaſterio Eryce vſque ad annum ætatis vndecimum ſolitarius vixit. Inde in Ordinem Minorum cooptatus, mirum in modum in obedientia, humilitate & ceteris virtutibus profecit. Qui Randacij culinæ præpoſitus, cùm orationis dulcedini intentus, die Reſurrectionis Dominicæ cibos fratribus parare oblitus eſſet, ab Angelis prandium paratum repertum fuit, cùm is excuſans, Dominum prouiſurum dixiſſet. Panormi vitream ampullam à nouitio Miſſæ inſeruienti perfractam reſtituit. Quod

Quod etiam præſtitit, cùm coram Guardiano cyathus, quo ægrotis potum miniſtrabat, in terram ſibi elapſus, confractus fuiſſet, & cùm puer amphoram vino plenam fregiſſet. S. Ludouicum Epiſcopum Toloſanum mirificè coluit: ad cuius inuocationem mira quædam circa ægrotos operatus eſt. Spiritu Prophetico etiam clarus, multa quæ ſic euenere prædixit. In eius obitu cùm de more campanæ pulſarentur, ruptis funibus ſonitum edere non ceſſarunt, & ex illius corpore ſuauiſſimus odor efflabatur, tota penè ciuitate ad rei nouitatẽ confluente, & aliquot ægrotis ac corpore læſis ad ſacri corporis contactum mirabiliter ſanatis. Obijt Panormi anno ſalutis humanæ milleſimo trecenteſi-
1345. mo quadrageſimo quinto, in ſacello Sancti Ludouici Epiſcopi (in quo orare ſolitus erat) ſepultus, innumeris per varia tempora dæmoniacis ad eius tumulum liberatis.

Ita Ferrarius libro citato, qui addit ipſum non modò Panormi, ſed etiam Valentiæ apud Ligures, in magno honore eſſe, etſi nondum Officio Eccleſiaſtico colatur.

De

De Beato Iacobo Piceno, Neapoli quieſcente.

IAcobus in Piceno, in opido Montis Brandoni natus,& Minorum ordinem ingresſus, Euangelij prædicationi operam dedit. 28. Nou.
Is cum doctrina vitæ ſanctitate coniuncta, à Pontifice Romano in diuerſas orbis partes ad prædicandum mittitur, donec à Pio II. Pontifice Maximo, vt ſibi in cogendo aduerſus Turcas exercitu adiumento eſſet, reuocatur. Falsò apud Romanum Pontificem accuſatus, quòd de ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti inter prædicandum malè ſentiret, miraculo innocentiam defendit. Nam omnes illius aduerſarij eadem nocte interierunt. Claruit ſpiritû Prophetico ac diuerſis generibus linguarum. Neapoli, quò à Ferdinando Rege vocatus fuerat, ægrotus, breui migrauit è vita IV. Kalend. Decembris, anno ſalutis noſtrę milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo ſexto: cuius corpus in Eccleſia S. 1476.
Mariæ Nouæ conditum adhuc integrum aſſeruatur.

Ita Ferrarius, qui addit Leonem X. Papam indulſiſſe, vt ipſius Commemoratio in propria Baſilica fiat. De hoc ſancto viro exſtat inſigne Epigramma Iacobi Sannazarij.

De B. Ioanne Capistrano.

23. Oct. IOannes, Capiſtrani Aprutij caſtello natus, Peruſiæ litteris & legibus operam dedit. Factus Doctor, Iudex, & vxoratus, aliquando Peruſia egreſſus in manus exulum ſeu prædonum incidit, in vinculaque conijcitur. Cumque preces Deo, vt liberaretur, obtuliſſet, quidam habitu Minorum indutus (qui S. Franciſcus fuiſſe creditur) ei per viſum ad idem inſtitutum adhortans viſus eſt. Expergefactus ſe coronam clericalem more religioſo factam habere comperit. Peruſiam liber rediens, triginta & octo annos natus veſtem Minorum induit, mireque cœpit in humilitate, paupertate, abſtinentia, & obedientia proficere. Nam adhuc nouitius, à magiſtro pannum ex lebete ebulliente extrahere iuſſus, illum manibus in lebetem immiſſis abſque omni læſione extraxit. Profeſſus, magna audientium vtilitate prædicare cœpit, & dœmones ab obſeſſis eijcere, alijſque miraculis coruſcare; cùm apud Tuſculum puerum mortuum ſuſcitaſſe, & apud Aquilam quendam, qui ſe ex deſperatione per feneſtram proiecerat, à morte liberaſſe, & Padum ſuper pallio, cùm portitores ipſum noluiſſent recipere, traieciſſe legatur. Multa pro Dei Eccleſia ſuſtinuit incommoda, Martino V. & Eugenio IV. Pontifice maximo, in Pánoniam

noniam & Daciam missus, ibi multos ad fidem Catholicam conuertit. In Germaniam quoque missus, admiranda in Austria, Bohemia & alijs locis fecit. Ratisponæ inter concionandum detrahentibus & irridentibus diuinam prædixit vltionem, qui sequenti nocte omnes miserè interierunt. Eo Cracouiæ prædicante, sacra hostia à Iudæis percussa, sanguinem emisit; quod scelus eius studio detectum, non mansit inultum. Profectus in Hungariam, Christianis insignem de Turcis victoriam precibus suis impetrauit: qui in Italiam redire cogitans, apud Iuliacum in Carinthia, febre correptus, decimo Kalend. Nouembris, anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo animam 1450.
Deo reddidit, multis post mortem miraculis clarus; cùm non modò morbo oppressos, & corpore vitiatos sanitati, sed etiam defunctos vitæ restituisse legatur.

Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, qui addit ipsum Sulmone (in cuius diœcesi est Capistranum) Officio coli Ecclesiastico, ex cõcessione Sedis Apostolicæ.

De Beato Paschali Baylonio Hispano.

B. Paschalis Baylon fuit ex Discalceatis ordin. Minorum, regularis obseruantiæ, prouinciæ S. Ioannis Bapt. in regno Valen-

tiæ, & obijt circa annum Christi 1598. multis clarus miraculis. Sacrum eius corpus adseruatur in opido Villæ Regalis, in regno Valentiæ. Est autem beatificatus, seu inter Beatos relatus anno 1618. à Paulo V. Papa, petente Philippo III. Rege Catholico, & Francisco Sandoualio, Cardinale & Duce Lermæo. Diploma Pontificis sic habet:

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. In sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, à Domino constituti, pijs fidelium votis, quibus virtutum Dominus in seruis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur oportunis. Sanè pro parte dilectorum filiorum, Ministri generalis, & aliorum superiorum, nec non fratrum ordinis Minorum Sancti Francisci de obseruantia, Discalceatorum nuncupatorum, Nobis nuper expositum fuit, quòd bonæ memoriæ *Paschalis Baylon*, eiusdem ordinis, dum vixit, professor, multis, & eximijs virtutum, gratiarum ac miraculorum donis à Domino illustratus fuit. Quapropter non solùm vniuersus Ordo prædictus, sed etiam carissimus in Christo filius noster *Philippus* Hispaniarum Rex Catholicus, ac dilectus filius noster *Franciscus* S. R. E. Cardinalis *Lerma* nuncupatus, nec non totius regni

gni Valentiæ proceres, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt donec canonizationis honorem, quem dicto Paſchali Baylon ob eius excellentia merita aliquando diuina adſpirante gratia habitum iri ſperant, ab Apoſtolica ſede impetrent, idem *Paſchalis Baylon* Beatus vocari, ac de eodem Officium & Miſſa, vt infrà, recitari poſſit. Quare nos, re priùs per venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſacris ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandauimus, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; vt ipſe bonæ memoriæ Paſchalis Baylon in poſterum Beatus nuncupari, atque de eo ſingulis annis die XVII. Maij, quo obdormiuit in Domino, à fratribus eiuſdem ordinis, in regno Valentiæ commorantibus tamquam de Confeſſore non Pontifice, iuxta Rubricas Breuiarij, & Miſſalis Romani Officium recitari & Miſſa celebrari, nec non in Eccleſia fratrum eiuſdem Ordinis, oppidi Villæ Regalis, in eodem regno Valentiæ exiſtentis, vbi eius corpus requieſcere aſſeritur, ab omnibus presbyteris, tam ſecularibus quàm regularibus, Miſſa, vt ſuprà, ſimiliter celebrari liberè & licitè poſsit & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium cōcedimus & indulgemus:

P 2 Non

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIX. Octobris, M. DC. XVIII. Pontificatus nostri an. decimoquarto. *Et infrà erat signatum*, S.Card. S. Susannæ.

De BB. Martyribus Gorcomiensibus.

SCripsit de ijs libellum sanè eruditum atque elegantem *Guilielmus Estius*, Doctor & Cancellarius Academiæ Duacensis. Horum ossa ex Hollandia Bruxellam primùm allata, ibidem multo cum honore adseruantur in templo Franciscanorum pro magna parte. Reliquæ partes in varijs monasterijs, vt Montensi, Cameracensi, Athensi, Niuellensi, & alijs decenter sunt collocatæ.

CAPVT VII.

De initijs monasteriorum Franciscanorum in Belgio.

Anno

ANno circiter Christi 1215. qui fuit octauus ante obitum B. Francisci, cœperunt Franciscani instituti fratres in Artesia & Hannonia, nominatim Atrebati & Valentianis, magno cum fructu populi conuersari. Fuerunt autem primùm sex missi in hunc Belgicæ tractum, idque à *B. Pacifico*, primo Franciæ Ministro. Erant inter illos sacerdotes duo, & laici quattuor, ex quibus frater *Guilielmus* ceteris præerat, vir prudens, qui postmodum primus custos fuit custodiæ S. Quintini, obijtque in opido S. Quintini anno 1237. vbi hodieque sepulcrum eius visitur, iuxta tumulum Caroli, cognomento Pij, Regis Galliæ in collegiata S. Fursei Ecclesia.

Porrò Franciscani, iuxta muros Atrebatenses, primùm habitarunt in loco, qui dicebatur Mons *Capellæ*, pòst anno circiter 1219. monasterium ipsis exstructum est, haud longè à loco iam nominato, dicatumque ac consecratum est templum in honorem S. Bartholomæi: ad quod quidem monasterium fratres sese an. 1222. transtulerunt.

Quod attinet ad Valentianense monasterium, Franciscani primùm habitarunt extra muros vrbis Valentianæ, in Basilica S. Bartholomæi, & loco, qui vocatur *Drougon*, quẽ quidem locum ipsis donauit *Ferdinandus* Flãdriæ & Hannoniæ Comes, diplomate Parisijs anno 1225. Martio mense dato. Paulò

post *Ioanna* Ferdinandi coniux quosdam Romam misit ad Honorium Papam, & *B. Franciscum* adhuc superstitem: quorum quidem consensu impetrato, ex S. Bartholomæi Basilica fratres in vrbem traduxit, ibiq; monasterium ipsis ædificauit, & templum an. 1233. dedicandum curauit.

Fuerunt itaque in primis initijs duo Frãciscanorum conuentus apud Valentianas. Nã vsque ad annum Christi 1241. vel secundùm alios, 1251. fratres equidem in dicto loco *Drougon* sedem ac domicilium retinuerunt.

Dauentriense Franciscanorum monasteriũ fundauit Eleonora Eduardi Angliæ Regis filia, & Reinaldi I. Geldriæ Ducis vxor. Præfuit Reinaldus annis 17. & obijt 1343. vt Aquilius & Tegnagelius tradunt.

Eadem & Eleonora fundauit Franciscanorum monasterium *Hardereuici*, vt idem Aquilius refert.

De Bruxellensi, Antuerpiensi, Louaniensi, Siluiducensi, Gandensi, Brugensi, Iprensi, Duacensi, & alijs quàm plurimis Franciscanorum per Belgicam cœnobijs, eorumque originibus vide Historiam Seraphicam Francisci Gonzagæ.

CAPVT VIII.

De Capucinorum origine.

CIrca annum Christi 1525. Capucinorum in-

institutum Fr. *Matthæus Baschius*, apud Vmbros natus, inchoauit, monasterio apud Camerinum, Vmbriæ vrbem, ab illustri matrona *Catharina Cibo*, Camerini Duce donatus. Habuit is socios *Fr. Ludouicum Tenaliam* Forosemproniensem, eiusque fratrem germanum. Hi Romam profecti à Clemente VII. Pontif. Maxim. impetrarunt facultatem *ferendi tunicam asperiorem & villosam, coloris cinericei, cum caputio in vertice acuminato, facultatem similiter suscipiendi fratres, & sæculares ad eundem habitum atque ad trium votorum professionem iuxta sancti Francisci institutum admittendi*: vt constat ex diplomate anno 1526. Maij octauo die dato. Primus porrò Capucinorum Præfectus generalis anno 1528. electus fuit idem *Matthæus Baschius*, post eum Ludouicus *Tenalia*, & sic alij ex ordine ad nostra vsque tempora.

Ita ferè Petrus Rudolfus Tossiniacensis in historia sua Seraphica Romæ anno 1586. edita, & Paulus Morisius libro 1. Originum monasticarum, cap. 53. & alij. Sunt qui aliter nonnihil ista narrent: de quibus vide Chronicon nostrum rerum toto orbe gestarum, cum Sigeberto Gemblacensi, Antuerpiæ editum.

Maximo sanè fructu inter Hæreticos hodie versantur PP. Capucini in Gallia, Germania, viciniſque prouincijs,

vt & Discalceati Carmelitæ, alijque Ordines reformati: quòd ad deuios istos homines reducendos sæpè plus valeant exempla quàm verba.

CAPVT IX.

Ordo Clarissarum, seu monialium Ord. B. Francisci.

CLARA, nobilis virgo Assisij nata in Vmbria, S. Franciscum ciuem suum imitata, facultatibus suis in pauperem erogatis, quemadmodum ille fratrum, sic ipsa sacrarum sororum collegium instituit: cum quibus in Ecclesia Sancti Damiani vixit admirabili sanctitate. Quæ, Saracenis Assisium obsidentibus, & monasterium, cui illa præerat, inuadere conantibus, ægra se ad portam efferri voluit, vnaque vas, in quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum erat inclusum: ibique orauit in hunc modum: *Ne tradas Domine bestijs animas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti.* In cuius oratione ea vox audita est: *Ego vos semper custodiam.* Saraceni autem partim se fugæ mandarunt: partim qui murum ascenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipsa virgo paulò pòst ieiunijs, orationibus, vigilijsque confecta, cùm duos & quadraginta annos summa cum laude monasterium gubernasset,

nasset, multaque edidisset miracula, pridie Idus Augusti, sacra Eucharistia sumpta, animam Deo reddidit, Innocentio quarto summo Pontifice, qui ægrotantem virginem inuisit, eique suppliciter petenti indulgentiam peccatorum impertiuit. Quam postea Alexander quartus inter sanctas virgines retulit, biennio post eius obitum, anno Pontificatus sui secundo. Quo tempore & ordinem Eremitarum Sancti Augustini confirmauit. Anno 1253.

De *Damianisticis* & *Vrbanisticis* monialibus vide suprà cap. 5.

CAPVT X.

De sanctis ac beatis virginibus & viduis ordinis Sancti Francisci.

POST S. *Claram*, eminent S. *Elizabetha*, Andreæ Regis Hungariæ filia, & Ludouici Hassiæ Lantgrauij vidua.

S. *Michelina* vidua Pisauriensis.

B. *Coleta*, virgo, & aliæ, de quibus nos infrà agemus, & alij passim agunt Franciscanarum rerum scriptores.

(.·.)

De S. Michelina vidua, & patrona Pisauriensi.

Iul. 19. MIchelina Pisauri haud obscuro loco nata cùm mortuo viro, quodam die in Ecclesia Franciscanorum, cum Syriana muliere peregrina, tertij ordinis sancti Francisci (vt vocant) moniali, quam domi suæ hospitio exceperat, oraret, & quòd ob curam filij (quem vnicè diligebat) se totam diuino seruitio mancipare non posset, quereretur, vocem à Crucifixo egressam hanc audiuit, *Te hac quoque cura & amore leuabo.* Quæ domum reuersa, filium mortuum inuenit. Eo sepulto, facultatibus contra propinquorum voluntatem pauperibus distributis, vitam planè cœlestem aggreditur. Nam vilem tertij ordinis vestem induta, assiduè ieiunans, corpus ferro cilicioque, interiùs præcincta catenis ferreis, affligebat, humi cubabat; orationi verò sic vacabat, vt ex apertis & vulneratis genibus vermes scaturirent. AEgrotos per Xenodochia frequens visitans, quadam die cùm leprosum osculata, sanum tantùm ea in parte reddidisset, exosculari tamdiu illum perseuerauit, donec totus mundaretur. Mulierem quoque leprosam oratione curauit. Tandem pijs laboribus confecta, ad Christum migrauit, 13. Kalend. Iulij, an. à partu Virginis 1356. in eadẽ Ecclesia sepulta.

Ita

Ita Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, qui addit ipsam Pisauri Officio Ecclesiastico coli, & festo die in populo, vt loquũtur.

CAPVT XI.

Congregatio Coletana monialium ordinis S. Claræ, per B. Coletam instituta circa an. 1425.

B. Coleta virgo Corbeiæ in Picardia nata, ordinem S. Claræ cœpit primùm reformare in monasterio vrbis Bisuntinæ apud Burgundos, pòst in aliorum quoque locorum varijs monasterijs; vsa potissimùm consilio *P. Francisci Balmæ*, Confessarij sui, viri morum vitæque integritate laudatissimi, cuius ossa in dicto Bisuntino cœnobio quiescunt. Obijt autem B. Coleta Gandaui in Bethlehem sui instituti cœnobio, anno 1447. vbi hodieque sacrum eius corpus integrum magna veneratione à monialibus asseruatur. Vitam eius fusè scripsit *Stephanus Iuliacus*, Theologus Parisiensis, à Surio editam. Colitur autem Gandaui à suis Officio Ecclesiastico, iuxta Indultum Clementis VIII. Papæ, petente Ser.ma *Isabella Clara Eugenia*, Belgarum Principe anno 1604. concessum: quod ad alia eiusdem instituti cœnobia Belgica Paulus V. an. 1610. extendit.

Cete-

Ceterùm reformatę huius Congregationis monasteria sunt ista, *Bisuntinum* & *Polıgniacense* in Burgundia, *Gandense* & *Brugense* in Flandria, *Atrebatense* & *Hesdimense* in Artesia, *Cameracense* in prouincia eiusdem nominis, *Ambianense* & *Peronense* in Picardia, *Rotomagensè* in Normannia, *Mussipontanum* in Lotharingia, *Nannetense* in Britannia minore, *Chāberiense* in Sabaudia, *Diense* seu *Dinense*, *Dauronense* & *Surrense* in Delphinatu.

Vt nostro itaque æuo B. *Teresia* ordinem Carmelitarum, sic & suo B. *Coleta* ordinem Clarissarum, varia monasteria ipsamet visitans, feliciter reformauit.

Clementis VIII. Papæ diploma, an. 1604. datum, ad Abbatissam Gandensem monasterij sanctæ Claræ.

CLemens Papa VIII. Dilectæ in Christo filiæ salutem ac Apostolicā benedictionē. Pijs ac deuotis supplicationib' vestro nomine humiliter nobis porrectis, inclinati, vestræq; spirituali consolationi & deuotioni, quam erga beatam *Coletam*, olim vestri ordinis monialem (cuius corpus in Ecclesia vestri monasterij requiescit) ac multis miraculis, quæ Omnipotens Deus ad eiusdem B. Coletæ intercessionem, vt piè creditur, operari dignatur, sicut

ſicut ad Nos fide dignorum virorum relatione perlatum eſt, clarere dignoſcitur; gerere comprobamini, benignè proſpicere volentes; Ex voto venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſuper ſacris ritibus ac ceremonijs deputatorum, vobis, vt Officium in honorem eiuſdem B. *Coletæ*, de communi vnius Virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in veſtra Eccleſia, in illius honorem pariter de communi vnius Virginis celebrari facere liberè & licitè valeatis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus, & indulgemus: voſque officium huiuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini officij ſatisfacturas eſſe declaramus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die viceſima ſeptima Nouembris, M. DC. IV. Pontificatus noſtri anno tertio decimo. *Et erat ſubſignatum*, M. Veſtrius Barbianus.

Pauli V. Papæ diploma anno 1610. datum.

PAVLVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, ſupplicationibus

bus dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & monialium monasterij sanctæ Claræ, ordinis eiusdem sanctæ Claræ, Gandauensis, inclinatus de consilio venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, super sacris ritibus & ceremonijs tūc deputatorū, ipsis Abbatissę & monialibus, vt Officiū in honorem Beatæ Coletæ de communi vnius Virginis, anniuersario die eius obitus, singulis annis recitare, & eodem die Missam in earum Ecclesia in illius honorem pariter de communi vnius Virginis celebrari facere, liberè & licitè valerent, auctoritate Apostolica licentiam concessit & indulsit, ipsasque Abbatissam & moniales officium huiusmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini officij satisfacturas esse declarauit, & alias pro vt ipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Breuis, sub data videlicet 27. Nouembris, an. 1604. Pontificatus sui anno decimotertio expeditis litteris, pleniùs continetur. Cùm autem, sicut nobis nuper expositū fuit, nomine delectarum etiam in Christo filiarum, vniuersorum monasteriorum monialium reformatarum, ordinis Sancti Francisci, in omnibus prouincijs Belgij existentium, ipsæ quoque pro spirituali earum consolatione ac deuotione, quam erga eamdem *B. Coletam* gerunt, officium præfatum recitandi licentiam & facultatem sibi concedi plurimum cupiant, Nobis prop-

propterea eorundem monaſteriorum moniales humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eaſdem moniales ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi, earumque ſpirituali conſolationi, quãtum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, ac monialium præfatarum ſingulas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpẽſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cẽſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cẽſentes, nec non præfatarum Clemẽtis prædeceſſoris litterarum tenorẽ in præſentibus pro expreſſo habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrũ noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſacris ritibus & ceremonijs præpoſitorum, conſilio, facultatem Officium in honorẽ eiuſdẽ *B. Coletæ* de communi vnius Virginis, anniuerſario die ei⁹ obitus ſingulis annis, & eodem die Miſſam in earum Eccleſia, in illius honorem pariter de communi vnius Virginis celebrari faciendi, prædicti monaſterij Abbatiſſæ & monialibus à dicto Clemente prædeceſſore, vt pręfertur, conceſſam, ad omnia monaſteria monialium reformatarum, Ordinis S. Franciſci, in omnibus prouincijs Belgij,

vbi

vbi ſunt monaſteria eiuſdem ordinis Sanctæ Claræ exiſtentia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus, nec non eorumdem monaſteriorum monialibus, vt in poſterum Officium in honorem eiuſdem B. Coletæ, de cõmuni vnius Virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in earum Eccleſijs, in illius honorem, pariter de communi vnius Virginis recitare, liberè & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica & tenore preſentium, licentiam & facultatem concedimus & impartimur, nec non præfatorum monaſteriorum moniales Officium huiuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini officij ſatisfacturas eſſe declaramus; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo piſcatoris, die ſecunda Septembris, milleſimo ſexcenteſimo decimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Et infrà erat ſignatum, S. Cobellutius.

CAPVT

CAPVT XII.

Ordo B. Mariæ de Annuntiatione, qui Annuntiatarum Virginum vulgò dicitur.

ORDO beatæ Mariæ semper Virginis primùm institutus fuit in Gallia à beata *Ioanna*, filia Ludouici XI. sorore Caroli VIII. eademque coniuge Ludouici XII. Regum Galliæ. Cui quidem Ludouico cùm diu ante regnum nupsisset, Duci adhuc Aurelianensi, is Carolo absque liberis defuncto, in regno suffectus, suasu aulicorum procerum & suo ambitu, ne Britanniæ Aremoricæ Ducatus abalienaretur, *Annam* eius prouinciæ hæredem & Caroli viduam duxit vxorem, Ioannâ dimissâ. Caussa diuortij metus præferebatur, & quòd non spontè eam duxisset, sed compellente patre virginis Ludouico XI. Rege, *quodq; illius adeò corpus nunquam attigisset*. Neque *Ioanna* se opposuit, sed libens ad alterius æternique Regis cultum se conuertit, etsi non deessent cùm sacri, tum profani ordinis proceres plurimi, qui Regis factum liberè damnarent. Fuit inter alios *Ioannes Standoncus* patria Mechliniensis, Doctor Theologus Parisiensis, qui qua erat con- *Massæus lib. 20. Chron.* *Ioannes Stãdoncus.*

ſtantia ac libertate, Regem acriter corripuit. Quapropter exilio mulctatus, in Belgium rediȷt, & Standonicum Louanij Collegium, alterumq́; Mechliniæ in patria inſtituit. Fuit & *Thomas VVarnetus*, Standonci diſcipulus, idemq́ue Eccleſiaſtes egregius, qui pariter in exilium pulſus Valentianis in Hannonia Gymnaſium erudiendæ iuuentuti excitauit. Fuêre & alij Lutetiæ Theologi, qui Ioannæ cauſſam fortiter tuerentur.

Ipſa tamen, vt dixi, non ſe oppoſuit, & læta ſe Deo totam dicauit conſecrauitque; ac mẽte quidem tranquilla, quod *Alexandrum VI.* Pontificem Maxim. indulſiſſe, atq;, vt loquũtur, diſpenſaſſe intellexiſſet. Ducatũ porrò Bituricenſem dono à Rege acceperat, cuius ſe fructibus, Bituricẽſi in vrbe agens, tolerauit, & alia pijs vſibus impendit. Inſtituit aũt ſacrũ hunc ordinem in honorem cultumq́; Deip. Virginis, quẽ diplomate an. Chriſti M. D. I.
1501. dato Alexander VI. Pontifex Max. primùm confirmauit, procurante R. P. *Gilberto Nicolao*, ordinis S. Franciſci monacho, qui poſtea *Gabriel Maria* eſt nuncupatus, fauenteque in primis Ioanne Baptiſta Ferrario, Epiſcopo & Cardinale Mutinenſi, eiuſdem Pontificis, vt vocant, Datario.

Poſt Alexandrum Iulius II. anno M. D. VI. deinde Leo X. anno M. D. XVII. idem inſtitutum adprobarunt, & priuilegijs ſtabiliuerunt. Vniuerſa porrò virginum Annun-

nuntiatarum regula decem capitibus constat, quæ decem primarias Deiparæ Virtutes, in Euangelijs expressas, ob oculos ipsis proponunt imitandas: nimirum *castitatem, prudentiam, fidem, humilitatem, veritatem, deuotionem, obedientiam, paupertatem, patientiam, pietatem* seu *misericordiam*, & *compassionem* siue *dolorem*: vt vocibus apud pios notis vtamur. Itaque non ex Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci aut alterius Sancti Patris præscripto, sed ex ipsis, vt dixi, verbis euangelicis huius ordinis regula est concinnata. Quod contra vulgi errorem semel monuisse suffecerit. Præsunt tamen passim monialibus Annuntiatis Sodales Franciscani, quos nuncupant Obseruantes. Sic enim Beata *Ioanna* fundatrix voluit siue iussit, monitu, vt scribunt, diuino; & Pontifices exinde Romani id ratum esse voluerunt. Vtuntur autem Annuntiatæ moniales veste talari leucohæa seu grisea, vt vulgus loquitur; in testimonium vitæ pœnitentis, quam profitentur. Chlamydem verò prorsus candidam, ex humeris in pedes desinentem, & velum nigrum in capite gestant: ornantur insuper scapulari, vt vocant, rubro, in formam crucis ante pectus adaptato, memoriæ passionis Dominicæ assiduè in mentem reuocandæ. Quod ad victum attinet, carnibus quidem vescuntur, sed non

De ijs extat libellus Fr. Ariæ, Soc. Iesu Theologi.

nisi Dominicis diebus, itemque ferijs tertia & quinta, idque non nisi semel in die; nisi aliud fortasse valetudo postulet. Ceterùm toto vitæ cursu sanctissimè transacto B. *Ioanna* ferè quadragenaria Biturigis in Domino obdormiuit pridie Nonas Februarij, anno salutis millesimo quingentesimo quinto, vt Christianus Massæus, qui illo æuo vixit, disertè in Chronicis testatur. Addit idem, ad huius sanctæ mulieris sepulchrum multa miracula cælitus facta memorari. A viris porrò fide dignis certò accepimus, hodieque ad eius tumulum, quamquam ab impijs Caluiniani dogmatis sectatoribus violatum (vt in busta cineresque Diuorum passim per Galliam crudeliter sæuierunt) frequenter piorum hominum concursus fieri, cereos accendi, dona votaque offerri, & miracula non rarò patrari. Meritò itaque virgines Annuntiatæ Bituricenses fundatricis suæ memoriam quotannis, ipso obitus die, his verbis renouant: *Obijt inclyta & meritis plena Ioanna de Francia, illustrissima quondam Regis filia, & soror alterius, videlicet Caroli octaui, quæ viro soluta castè viuens, mundo orbata, & diuinis ac sacris addicta, totius ordinis sacrorum beneplacitorum Euangelicorum fundatrix & rectrix exstitit pientissima. Cuius sacrum pignus Biturigis honorificè sepelitur, miraculis clarens, porrò nunc in cœlis laureata perpetuò cum beatis Deo fruitur, die 4. Februarij defuncta, anno Domini millesimo quingentesimo quarto.*

No-

Notet hic Lector, obitum Beatæ Ioannæ ad annum Christi M. D. IV. referri, iuxta stilum seu calculum veterem Ecclesiæ Gallicanæ, annum à Paschate inchoantis. Alioqui iuxta stilum Romanum, annum à Kalendis Ianuarijs ordientem, constat eam M. D. V. obijsse, vt ex Massæo Chronographo commemorauimus. Plura de B. Ioannæ pijssimæ heroinæ vita rebusque gestis qui volet, *Nicolai Gazai*, Annuntiatarum Bethuniæ Præfecti, libellum sermone Gallico conscriptum, typisq; apud Atrebates euulgatum consulat. 1504. 1505.

De Cœnobijs ordinis B. Mariæ, seu Virginum Annuntiatarum in Francia & Belgio.

PRimum vt dixi huius instituti monasterium *B. Ioanna* in vrbe Bituricensi anno Christi millesimo quingentesimo secundo, ære suo ædificare cœpit. Georgius Amboisius, Archiepiscopus Rotomagensis, idemque Cardinalis & Apostolicus per Galliam Legatus, eius loci Basilicam demum post obitum B. Ioannæ consecrauit. I. *Bourges.*

II. Secundum huius ordinis cœnobium vir nobilissimus *Ludouicus Amboisius*, Albiensium Dominus, in vrbe sua Albiensi, post o- 2. *Albij.*

 bitum

bitum Beatæ Ioannæ, circa annũ, vt arbitror, millesimum quingentesimum octauum, exædificauit, virginibus octo Biturigis Albiam euocatis. Voluit nimirum vir pius auunculi sui recèns defuncti Albiensium desiderio satisfacere, qui id ipsum, si vita superfuisset, per se præstitisset.

3. *Bruges.* III. Florebant id temporis Brugæ Flandrorum non mercatu solùm, sed & Religione. Itaque tertium apud Brugas monasterium à Margarita Maximiliani I. Imperat. filia & Caroli V. Imp. amita anno millesimo
1518. quingentesimo decimo octauo est constitutum, Virginibus octo è Bituricensi cœnobio aduocatis: vt libro de politia ciuitatis Brugẽsis Iudocus Damhouderius fusè commemorat.

4. *Bethune.* IV. Bethuniense in Artesia monasterium, quod vt olim, sic & hodie nobilissimas habet virgines, Isabella Luceburgensis, Espinoij Princeps ædificandum curauit, & Franciscus Melunius Teruanæ in Morinis Episcopus, an.
1517. millesimo quingentesimo decimo septimo dedicauit. Tumulus Isabellæ marmoreus ibidem visitur.

5. *Rhodes en France.* V. Cœnobium Ruthenæ in regno Galliæ est institutum, in quo R. P. Gabriel Maria millesimo quincentesimo tricesimo obijt, & quiescit.

6. VI. Sexto circiter lapide ab vrbe Parisiensi.

VII.

VII. Burdigalæ in Gallia. *Bourdeaux.*

VIII. In Hiſpania.

IX. Nonum cœnobium Louanij ſuo ære condidit, anno milleſimo quincenteſimo triceſimo, nobiliſsima matrona *Maria Hamalia*, Guilielmi Croij Marchionis Arſchotani, & Ceruienſis in Hannonia toparchæ vidua; ſexmonialibus, quæ alijs regimen & exemplum eſſent, Brugis Flandrorum euocatis. Quibus mox nouellæ quattuordecim ſeſe virgines iunxere, ſicque primitus viginti ſacro monaſterij ſepto ſunt incluſæ. Hodie numerus penè quadruplo eſt auctior. Ceterum pia eadem matrona Hamalia, cum marito ſuo ad muros vrbis Louanienſis inſigne Cœleſtinorum Sodalium monaſterium arcemque vicinam Heurienſem curauit ædificandam. *Louain.*

X. Monaſterium exſtructum eſt apud Mõtem Peſſulanum in Gallia. 10. *Montpellier.*

XI. In Ducatu Bituricenſi, & alia alibi plurima. Huius porrò inſtituti monialium binæ velut coloniæ anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo octauo Louanio ſunt deductæ, Antuerpiam vna, Niuellas (quod eſt Brabãtiæ opidum diœceſis Namurcenſis) altera, R. P. Henrico Sedulio, Franciſcanorum ſodaliũ in Germania inferiore Miniſtro Prouinciali in primis procurante. 11. *En Berry.*

Antuerpienſis quidem monaſterij fundandi ea potiſſimùm cauſſa fuit, quòd vir- *Anuers.*

virgines plurimæ Antuerpienses Louanium cum amplissima dote se conferrent, huic instituto amplectendo; adeò vt locus non sufficeret. Quas quidem in vrbe patria, ac monasterio velut domestico retinere satiùs visum fuit Reuer.mo Domino patruo nostro *Ioanni Miræo*, tunc Antuerpiensium Episcopo, eiusque vrbis Senatui. Primum porrò templi lapidem fundamentalem, anno millesimo sexcentesimo decimoquinto, Serenissimi Belgarum Principes *Albertus* & *Isabella Clara Eugenia* posuerunt.

Niuelle. Niuellense monasterium debet plurimum illustri Nobilium virginum Canonicarum collegio, quod in ea vrbe fundauit B. *Itta*, Pipini I. cognomento Landensis vxor, primâ Abbatissâ constitutâ S. Gertrudæ filiâ.

Rurmõde. Maestricht Douay. Brussel-les. Subsequentibus annis fundata sunt & alia huius ordinis cœnobia apud Belgas, vt *Ruremundense* in Geldriæ Ducatus metropoli, *Traiectense* ad Mosam fluuium, *Duacense* in Flandriæ Comitatu, & *Bruxellense* in Brabantia.

Bruxellensis cœnobij inchoandi primarius auctor fuit R. P. *Andreas Sotus*, ordinis D. Francisci de obseruantia eximium lumen, & Ser.mæ Isabellæ Hispaniarum Infanti à sacris Confessionibus, cuius in primis aliorumque PP. Franciscanorum hortatu plurimæ virgines nobiles eo se loci, velut ad salutis portum receperunt.

Ser.

Ser.mi Principes nostri, quos suprà nominaui, pro singulari suo erga religiosos cœtus affectu insignem fontem in monasterium istud, quanquam alto loco situm, ex vicino suo ferarum viuario, anno millesimo sexcentesimo decimo octauo deriuarunt.

CAPVT XIII.

Ordo Eremitarum S. Augustini.

INstitutus est hic ordo à S. Augustino, in eremo, non procul à Tagasta, vrbe Africæ, anno Christi 388. aut sequenti, & confirmatus ab Innocentio I. Papa circa annum 402. Deinde à Leone I. Item ab Innocentio III. & IV. Alexandro item IV. & alijs Pontificibus. Ex ijs tres posteriores non solùm hunc Ordinem approbarunt, sed diuersas etiam Congregationes regulæ Augustinianæ (vt S. Guilielmi, B. Ioannis Boni, Pœnitentiæ Iesu Christi, seu Saccitarum, item de Britinis & alias) sub vno capite seu Præfecto Generali vnierunt. Vnde & festum *Reunionis* olim quotannis 5. die Iunij celebrari solet. De ijs fusè S. Antoninus p.3. t.24. Onuphrius an. 1255. Genebrardus in Alexandro III. & Cornelius Lancilottus in vita S. Augustini, lib.2. cap.12. & consequentibus.

Est autem hic Ordo per totum terrarum orbem diffusus, varias in prouincias parti-

tus, quas idem Lancilottus enumerat, vnà cũ ſerie conuẽtuum ſeu monaſteriorũ cuiuſque prouinciæ.

De hoc Ordine peculiarem librum edidit Romæ Ioſephus Pamphilus, Epiſcopus Signinus: vt & de ſcriptoribus eiuſdẽ inſtituti cõmentarium Hieronym. Gratianus Antuerpię publicauit. Ceterum laudandi ſunt in primis Patres Eremitæ Belgæ, qui exemplo Patrum Soc. Ieſu in celebrioribus Belgicæ vrbibus iuuentutem optimis & moribus & litteris Latinis imbuunt. Habent autem ſcholas celeberrimas *Bruxellis, Antuerpiæ, Louanij, Thenis, Diſtemij, Herentaliæ, Mechliniæ, Gandaui, Brugis, Inſulis, Bouinij, Huij, Hasleti*, & alibi. Scholas aperire cœperunt ſolemniter Bruxellis anno circiter 1602. fauente in primis Magiſtratu ac populo illius vrbis: quem in vſum illuſtre Gymnaſium, in quinq; claſſes Litterarias diſtributum, ad Sennam fluuium anno 1614. à fundamentis excitarunt, procurãte P. *Nicolao Cruſenio*, tũc illius loci Priore. Quod quidem adeò placuit Ser.mis Belgarum Principibus *Alberto & Iſabellæ*, vt in dicti Gymnaſij Bruxellenſis ædificationem non modò ingentem pecuniæ ſummam liberaliter contulerint, ſed in eiuſdem quoque frontiſpicio inſignia ſua gentilicia præfigenda mandarint.

Schola Auguſtinianorũ in Belgio.

Bruxellenſium exemplo moti, Reuerendiſſimus Dominus patruus meus *Ioannes Miræus*, Antuerp. tunc Epiſcopus, Senatus iterum

ac

ac populus illius vrbis, Patres Augustinianos Antuerpiam anno 1607. euocarunt, euocatos humanissimè exceperunt ac fouerunt. Adeò quidem, vt gratuita Senatus ad Mercatorum (quos inter palmā meruit D. Henricus Cousius vrbis senator) liberalitate elegantissimū à fundamentis templum paucos intra annos surrexerit: quod omnibus numeris absolutū, anno 1618. postridie Kal. Septembris à *Ioāne Maldero*, Antuerpiēsi Præsule, in honorē Dei, B. Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum est consecratum.

Et verò, quantum existimationis, ornamenti, ac fauoris Ordini huic Augustiniano apud Belgas, post institutas scholas, accesserit, haud facilè dixero.

Vtinam verò, quod apud Belgas in erudiēda iuuentute, idem quoque apud Germanos, Francos, Hispanos, Italos, aliasque nationes præstent Eremitæ Augustiniani! nihil alienū à S. Augustini instituto facturi (vt egregiè docet Corn. Lancilottus in eiusdem Vita, lib. 3. cap. 47.) quin imò optimè de vniuersa Republica Christiana merituri. De Benedictinorum, Dominicanorum, Fratrum Hieronymianorum seu vitæ communis, aliorumque Religiosorum scholis, olim publico Ecclesiæ bono celeberrimis, dicam alibi. Dominicani certè scholas litterarias hodieque habent Liræ in Brabantia, Braniæ Comitis in Hannonia, & Ipris in Flandria.

CA-

CAPVT XIV.

Congregationes variæ Patrum Eremitarum S. Augustini.

VT Canonicorum Regularium, sub Diui Augustini signis militantium, variæ sunt familiæ, suprà à nobis commemoratæ, sic & Eremitarum variç sunt Congregationes in Italia præsertim florentes, sed quæ vnum eumdemque Priorem seu Præfectum Generalem, Romæ ordinariè residentem, cum alijs agnoscunt.

Congregatio Lombardiæ.

INter alias eminet reformata Congregatio Lombardiæ, anno 1444. per *Gregorium Rocquium Papiensem*, & *Gregorium Cremonensem* in vrbe Cremensi instituta.

Huic Congregationi subsunt 60. amplius conuentus seu monasteria, quæ enumerat Corn. Lancilottus sub finem Vitæ S. Augustini, typis Plantinianis editæ. Eminet inter alia huius Congregationis monasteria Casalense, in Ducatu Montis-ferrati, quod insigne gymnasium habet adiũctum, à Cl.mo viro Andrea Treuisio institutum.

Quod exemplum, vt boni omnes sperant, alia in primis eiusdem Congregationis cœnobia

nobia (in ijs præsertim opidis, quibus desunt scholæ Patrum Societatis Iesu) imitabuntur.

Congregatio Illecitana S. Saluatoris.

FVit ea anno 1050. instituta apud Senas Italiæ vrbem, & complectitur conuentus septem, ab eodem Lancilotto enumeratos.

Congregatio Carbonaria.

ISta originem sumpsit anno 1399. in regno Neapolitano, per *Simonem Cremonensem*, & habet sub se monasteria XIII. ibidem recensita.

Congregatio Perusina, alias S. Mariæ de populo.

INstituta fuit anno 1424. in Vmbria, & cōuentus septem complectitur, quos ibidem curiosus lector reperiet.

Congregatio Genuensis, seu S. Mariæ de Consolatione.

COmplectitur illa conuentus duos & viginti, ab eodem Lancilotto commemoratos. Fuit inchoata anno 1484. per quendam nomine *Baptistam*, natione Genuensem: vnde

vnde & *Baptistarum* Congregatio à quibusdã dicitur.

Congregatio montis Ortoni.

COEpit illa in monte Ortono apud Patauium anno 1460. præeunte *Simone Camerinensi*, qui pacis inter Venetos & Ducem Mediolanensem anno 1458. auctor ac conciliator fuit, & monasterium B. Pacis, inde sic dictum, Venetijs excitauit. Sunt huius Congregationis conuentus sex, loco citato pariter recensiti.

Congregatio Apuliæ seu Dulceti.

HAnc primus excitauit anno 1492. in Apulia *Felix* natione Apulus: suntque sub ea conuentus XI.

Congregatio Calabriæ seu Zampanensis.

DEbet ea initium suum *Zampanæ*, natione Calabro, quod id posuit anno 1502. in Calabria. Complectitur monasteria amplius triginta, quæ recitat Lancilottus citato loco.

Congregatio Dalmatiæ.

COngregatio S. Augustini de Dalmatia, à qui-

quibusdam anno 1502. ab alijs 1511. scribitur instituta fuisse in Dalmatia seu Sclauonia.

Congregatio S. Mariæ de Colorito in Calabria citeriore.

COmplectitur ea non nisi quattuor aut quinque conuentus, ab eodem Lancilotto enumeratos: quos inter eminet Romanus CCCC. martyrum.

De his alijsque Congregationibus vide plura apud Iosephum Pamphilum, Corn. Lancilottum, ceterosque rerum Augustinianarũ scriptores. Conuentus verò oẽs singularum Congregationum enumerat Lancilottus.

Congregatio Communitatis in Gallia.

IN regno Franciæ triginta plus minus sunt Eremitarum Augustinianorum monasteria optimè reformata, veterisq; disciplinæ obseruantissima: inter quæ eminet *Bituricense*, & *Parisiense*. Itaq; vtinam isti Patres in primis scholas erudiendæ iuuentuti aperiant, magno haud dubiè Ecclesiæ Gallicanæ commodo id facturi.

Congregatio S. Antonij in Monte Vulturno, quæ est Eremitarum apud Belgas.

In

IN Flandriæ & Artesiæ Comitatu multi solent Eremitæ seorsim singuli aut bini in siluis alijsque locis à populi concursu seiunctis viuere. Hos in vnam velut Societatem ac Congregationem collegit P. *Antonius Thouānus*, patriâ Lotharingus: quam sub regula sancti Augustini Paulus V. Papa approbauit, & visitationi Patrum Eremitarum Augustinianorum, prouinciæ Belgicæ, anno 1615. Guido Bentiuolus, Apostolicus tunc apud Belgas Nuntius, submisit.

Congregatio Saxoniæ, Eremitarum S. Augustini, quæ desiit.

HAnc anno 1497. Andreas Proles in Saxonia & Turingia instituerat, & Alexander VI. confirmauerat, & sedi Apostolicæ immediatè subiectam esse voluerat: sic vt visitationi Prioris Generalis & Prouincialium ord. Eremitarum S. Augustini non subesset. Sed infausta admodum, prô dolor, hæc fuit exemptio, & maledicta Saxoniæ Congregatio, quæ monstrum illud ac pestem Germaniæ, Martinum inquam Lutherum, hæresiarcharum nostri æui principem, orbi protulit. Quapropter dicta Congregatio iure meritissimo mox exstincta est, eiusdemque instituti monasteria alios in vsus sunt conuersa: vt inter

ter cætera Antuerpiense, quod in Parochialé S. Andreæ Basilicam est commutatum. Vide Ios. Pamphilum in Chronico Augustiniano, & Carolum Scribanium in Originibus Antuerpianis, cap. 11.

Ceterùm de Scriptoribus ord. Eremitarum S. Augustini exstat P. *Thomæ Gratiani* Anastasis Augustiniana, Coloniæ anno 1613. edita.

CAPVT XVII.

De S. Ioanne Bono Mantuano Confessore, & alijs Sanctis ord. Eremitarum S. Augustini.

IOannes Bonus, Mantuæ Ioanne patre natus, cùm patre defuncto opes amplas in voluptatibus, lubricorum iuuenum consuetudine vsus, consumeret, matre pro eo ad Deum preces assiduè fundente, in grauem morbum incidit, ex quo ad meliorem frugem redactus, spopondit, si euaderet, se ad vota Religionis transiturũ. Recuperata itaque valetudine, & mortua matre, omnes facultates in pauperes erogauit, & in specu apud Cæsenam aliquamdiu se mirum in modum afflixit, veste Eremitarum S. Augustini indutus. Cùm carnis incendijs æstuaret, vt eam tentationem dolore superaret, calamos præacutos arundineos sub manuum vnguibus infixit: ex quo

dolore triduo penè exanimis iacuit; sed diuina visitatione recreatus, statim conualuit, carnisque de cetero tentationem non sensit. Cùm admirabili abstinentia vitam duceret, plura per Flaminiam & Vmbriam monasteria fama sanctitatis instaurauit. Quibus in locis annos quinquaginta commoratus, in patriam venit, vbi in monasterio, sibi à ciuibus exstructo, dierum & bonorum operum plenus, & miraculis coruscus migrauit in
1249. cœlum, X. Kalend. Nouembris, an. salutis millesimo ducentesimo quadragesimo nono: cuius corpus non multò post in vrbem translatum, in cœnobio S. Agnetis honorificè conditum miraculis fulsit. Ita Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, & Constantius Laudensis, eiusdem ordinis, qui vitam illius libris tribus anno 1590. publicauit.

De B. Thoma Villanouano, Archiepiscopo Valentino.

B. Thomas de Villa noua, cognomento Eleemosynarius, ord. Eremitarum S. Augustini, fuit Archiepiscopus Valentinus, & obijt anno Christi millesimo quingentesimo
1555. quinquagesimo quinto, ætatis 67. in die Natiuitatis B. Mariæ Virginis. Multis miraculis clarum beatificauit seu Beatos inter retulit Paulus V. Papa 7. Octobris, 1618. De eode hæc Oratio exstat composita: *Deus qui Patrem pau-*

pauperum Thomam Præsulibus in exemplum posuisti, præsta quæsumus, vt qui indigentibus opem tulit in terris, suis nos precibus iuuet in cœlis, per Christum Dominum nostrum.

De S. Clara Virgine apud Montem Falcum.

CLara virgo in monte Falco (opidum est Vmbriæ non obscurum Fulginio proximum) anno à partu Virginis 1266. Clemente IV. Pontifice nata pijs parẽtib⁹, sub Ioannę sororis (quæ reclusorio extructo aliquot virginibus præerat) disciplina vitam prorsus admirandam egit. Tanta fuit verecundia, vt nulla se parte corporis nudam videri pateretur. Cùm dormiens pedem extulisset, à sorore reprehensa, id quasi piaculum lacrymis expiauit. Dicere verò solebat, *Ne Medico quidem vllam corporis partem detegendam esse, quòd visus plurimorum fons malorum sit, oculusquè hostis animæ acerrimus.* Silentij obseruãtissima fuit. Abstinentiam item sic coluit, vt cùm ouum ob debilitatem, hortatu sororum, gustasset, facti pœnitens ad lacrymas confugeret. Cùm Ioanna soror carnis modicum ad ægrotæ instaurandas vires detulisset, illam abeunte sorore abiecit. Altero reclusorio extra opidum à se constructo, à Ioanna, quæ etiam 17. Aug.

illi præerat, obtinuit, vt cum alijs virginibus ad quæstum exiret; sed licentia reuocata est, quòd illa subdio imbres & ventos potiùs pati vellet, quàm ad domum alicuius diuertere. Virgis & flagellis se adeò cædebat, vt sanguis copiosus è vulneribus flueret. Mortua sorore cœnobij administrationem inuita suscepit, nec tamen quidquam de austeritate remisit, cùm cilicinis interiùs vestibus induta, se funiculis & vrticis flagellaret; diesque integros cibo & potu abstineret. Orationibus intenta omnia humana despiciebat, miseros appellare solita, qui ea quærerent, & magis miseros, qui bona appellarent. Pacem inter vrbes finitimas dissidentes per litteras conciliabat: erat enim litteris diuinitùs erudita; spiritu prophetię non caruit. *Iacobo* enim *Columnæ* Cardinali dignitatis restitutionem prædixit. *Margaritæ* mulieris Gallicæ Romam peregrinantis aduentum, & nomen diuinauit. Nouitiam, quæ occultum peccatum in sacramentali confessione tacuerat, reprehendit. Cùm aliquando cum alijs communicare non potuisset, à Christo Domino meruit corpus suum accipere. Christum peregrini specie suscepit, à quo (cùm de illius passione non sine copiosissimis lacrymis ad sorores sermonem haberet) passionis mysteria cordi illius impressa fuisse non dubitatur. Denique assiduis vigilijs, ieiunijs, & alijs carnis macerationibus confecta in morbum incidit:

cidit: ex quo anno ætatis trigesimo tertio breui migrauit ad sponsum.

Cuius cor ingens, multis inspectantibus diuisum, mysteria Dominicæ Passionis continere repertum est. Illud etiam mirum, tres cordis globulos seu pillulas tantum ponderis habere, quantum habent singulæ. Adhuc viuens, monialem defunctam suscitauit. Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ex eius vita Bononiæ anno 1601. edita.

CAPVT XVIII.

Ordinis Carmelitarum origo ac progressus.

ORdinem Carmelitarum in monte Carmelo *Elias & Eliseus* Prophetæ primùm inchoarunt; *Albertus* Patriarcha Ierosolymitanus, cùm Europæi Terram sanctam occupassent, vitæ regulam temperauit; Beata demum *Teresia*, Virgo Hispana, ad primæuum rigorem ac disciplinam nostra ætate reuocauit.

Carmelitas porrò primus ex Syria in Europam transuexit S. Ludouicus IX. Rex Galliæ, qui eisdem Lutetiæ monasterium excitauit.

Vt res tota fiat clarior, habe quæ eleganter & breuiter de huius ordinis initijs ac progresibus tradit Ioannes à Iesu Maria, Cala-

guritanus, in Vita B. Teresiæ.

Anno, inquit, ante Christi ortum circiter nongentesimo tricesimo *Elias* Propheta clarissimus in Carmelo Syriæ monte, quem cultu suo fecit insignem, prima instituti monastici fundamenta iecit: quæ grauissimorum Patrum consensio est. Postquam enim, Dei iussu, primogenitum suum *Eliseum* ex agricultura euocatum sibi sociauit, plurimos alios, diuinum & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos Filios Prophetarum appellatos Scriptura sacra demonstrat) collegio illi sacro adscripsit. Nec Palæstinæ Syriæve tantùm finibus sacra hæc institutio circũscripta est: in AEgyptũ enim, temporis excursu, lectissimæ gẽtis coloniæ, quos *Essenos* nuncupabant, deductæ sunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque clarescerer. Quidquid enim Orientis Austrique prisci Patres, quorum stemmate monachorum familiæ gloriantur, tradidere; quidquid etiam ab Oriente in Occidentem exstitit inuectum, non minima ex parte institutionis Eliæ quædam expolitio, & ad nationes diuersas coaptatio est: siue contemplationis studium, siue solitudinem, siue austeritatem vitæ, siue paupertatem velimus expendere. Omnia quippe capita hæc in cœnobijs laudatissima sic in illo Propheta resplenduerunt, vt Ioanni Baptistæ Christus laudi verterit, imaginem Eliæ ipsum ad viuum expressisse:

S. Hiero. ad Paulinum Io. Cassian. lib. 1. c. 2. & alij.

Genebr. l. 4. chronolog. an. 5268. Barõ ad Martyr. Rom. 20. Iulij.

Trithemius de laudibus Carmelit. c. 3.

qua-

quasi animi erectio, eremus, asperitas, castimonia, inopia, cæteræque instituti monastici notæ, quibus Ioannes claruit, totidem Eliæ dotibus harmonicè consonarent.

Filij porrò Prophetarum, quos dixi, atque Esseni Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in AEgyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem vsque ad Virginis partum produxerunt. Cùm itaque diuinis rebus homines addicti in Carmelo, quod in Oriente tres illi Magi, Balaam posteri, modis licèt diuersis, molirentur, vt scilicet Deo intentissimè vacarent, mox vt Christi splendor illuxit, bene comparati Euangelicæ veritatis studium arripuerunt, & vnà cum Apostolis in opus prædicationis incubuerunt. Cui fidem adstruit sacellũ, quod in beatissimæ Virginis honorem ab ipsis excitatum auctores nonnulli prodiderunt. Nec sanè decuit Prophetæ tanti posteritatem ignauia torpescere, cùm densas orbis terrarum tenebras lux noua discuteret. Strenuam ergo primæ Christi sementi, & Virginis laudi cùm Eliæ posteri operam nauarent, illustre cognomentum adepti sunt, vt Virginis Fratres appellarentur. Quem sanè honorificum titulum clementissima Regina & visis & miraculis propugnauit, multisque alijs prærogatiuis gentem auxit: quas inter superhumerale seu scapulare, temporis processu, B. Simoni Stocquio Anglo donatum mirificè

Ioannes à Iesu Maria Calaguritanus in vita B. Teresiæ l.1.c.2.

Armachanus in ser de Concept.
Io. Ierosol. c.31. & 38.
Polyd. lib.7.c.3.

Io. Hierosol. de institut. monach. c.36.

rificè elucet. Noua igitur Christi agmina, religionis orthodoxæ zelo validiùs instructa, Virginis auxilio rem feliciter gesserunt; & Carmelus, cœlestibus iam viris quàm plantis fœcundior, cœpit animos excelsos
Anno procreare: atque in hunc modum ad annum
400. à Christo nato quadringentesimum perdurauit.

Creuerat mirum in modum sacra Virginis familia, quam scriptis iam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes
Circa an. XLIV. Ierosolymitanus Patriarcha (vt qui-
400. dam volunt) siue alius regulas quasdam è Scripturæ sacræ consilijs, & veterum Patrum documentis contextas ei præscripsit. Series verò longa annorum sub ijs regulis excurrit,
An. 600 & ad annum vsque sexcentesimum numerosa proles feliciter excreuit: at postea persecutionibus grauissimis Ecclesiæ hostium exagitata, in patrio monte, quò se velut in asy-
An. 800 lum receperat, ad octingentesimum vsque annum perseuerauit. Post eum verò annum Pontifices Romani (à Leone illo, qui Pontificatum IↃCCCXLVIII. gessit vsque ad Gre-
Anno gorium VII.) statum rerum aduersarum cô-
1078. miserati gentem afflictam priuilegijs augere perrexerunt.

Verùm interlapsis annis aliquot, *Aimericus* Lemouicensis, Antiochenus Patriarcha,
Anno *cus* Lemouicensis, Antiochenus Patriarcha,
1120. & Apostolicæ Sedis in Oriente Legatus, institutum Eliæ penè collapsum conspicatus, deie-

deiectos animos attollere ſtuduit, & Carmeli incolas atque eremitas ad communem vitæ rationem, Latinorum monachorum moribus conſentaneam, adduxit. Poſt annos autem aliquot Beatus *Albertus* Ieroſolymorum Patriarcha breuem quandam regulam compendio & perſecutione laudatam ipſis dictauit. Ceterùm poſteritas à calore primo, vt fieri ſolet, paullatim deferbuit, & excurſu temporis ab Innocentio IV. *Anno*
Pont. Max. mitigationem impetrauit. Nec 1248.
tamen (quæ hominum imbecillitas eſt) poſtea conquieuit, ſed poſt exactos annos paulò minùs ducentos ab Eugenio IV. regulam 1431.
rurſus leniri curauit, quæ vſque ad nouiſsimam reformationem à B. *Tereſia* cœptam prolata eſt. Anno igitur milleſimo quin- 1562.
genteſimo ſexageſimo ſecundo ſanctiſsima virgo *Tereſia* regulam Alberti ab Innocentio modicè temperatam, & ſub ipſo temperamento pro primitiua habitam, tam cupidè amplexata eſt, vt primæuam illam obſeruationem, quæ Innocentij mitigationem anteceſſit, ſi non ſuperarit, certè æquarit; & ad ſui æmulationem duos primùm Patres & ſanctitate & doctrinâ conſpicuos, atque alios deinde innumerabiles, depoſita Eugenij mitigatione, pertraxerit. Ceterum reformata hæc Congregatio plurimos vtriuſque ſexus homines, vitæ morumque ſanctitate illuſtres, orbi dedit. Ducem ſuam *B. Tereſiam*

æmulata est in primis B. *Catharina de Cardona*, è stirpe Cardonensium in Hispania Ducum prognata, quæ multis miraculis sacrisque visionibus clara, anno 1577. viuere desijt. Beata item *Catharina à Christo*, cuius anno 1598. defunctæ, & Pompelone in regno Nauarrę sepultę vitam scripsit Leonora à Misericordia, illius sodalis: insuper *Beatrix ab Incarnatione*, monialis Vallisoletana; Catharina a Iesu, monasticen in opido Veas prouinciæ Bœticæ professa, & aliæ plurimæ suo loco à nobis celebrandæ. Viros inter agmen ducat *B. Ioannes à Cruce*, patria Methimnesis, qui dæmonibus, vt alter æui nostri Basilius, formidolosus semper exstitit. Hunc sequantur P. *Augustinus à Regibus*, Astigiensis, Hispanus; P. Franciscus cognomento Indignus, qui in Congensi AEthiopum regno quàm plurimos Christi castris adscripsit; F. Franciscus à puero Iesu, cognomento Rusticus, laicus quidem, vt loquuntur, sed ob miram sanctitatis opinionē à Clemente VIII. Pont. Max. & à Philippo II. Rege Catholico, eiusque filio Philippo III. in veneratione habitus; F. Benedictus à Iesu & B. Virgine, Catalaunus, Pastranæ conditus; P. Petrus à Matre Dei, Darocensis, Hispanus, primus Italicæ Congregationis Præpositus Generalis: qui Clementi VIII. Leoni XI. & Paulo V. summis ex ordine Pontificibus à sacris fuit concioni-

Obijt an. 1608. Romæ,

bus,

bus, quoque vix aliquis Romæ sanctior eo tempore reperiri posse credebatur, vt Baronius Annalium tomo XII. in rebus gestis anni 1187. prædicat. Item P. Franciscus à SS. Sacramento, Hispanus, Neapoli in Italia an. 1609. defunctus; P. Iacobus Mediolanensis, Italus; F. Andreas Burgensis, laicus; P. Antonius à Cruce, Darocensis; F. Didacus à Iesu, cognomento Silentiarius, Segobiensis; & F. Bartholomæus laicus, qui in Nauarræ opido Tudela an. 1606. diem clausit extremum. Omitto P. Antonium à Iesu, qui primus nouæ huic reformationi præfuit; P. Nicolaum à Iesu Maria Genuensem, totius ordinis Generalē; P. Gregorium Nazianzenum, P. Marianum à S. Benedicto, Italum; P. Ioannē Baptistam; P. Dominicum à Præsentatione; P. Ioannem à Iesu Maria, Pastranensem, omnes instituti eiusdē Prouinciales; P. Ioannem à Simone, Cantabrum; P. Emanuelem à Matre Dei, Biacensē; F. Didacum à Iesu, coquum Vallisoletanum, aliosque innumerabiles, alibi pleniùs à nobis laudandos.

CAPVT XIX.

De duplici Congregatione Carmelitarum Discalceatorum.

PRæter veterum Carmelitarum, quos *Mitigatos* vocant, Congregationem tota

Euro-

Europa diffusam, sunt insuper duæ Carmelitarum Reformatorum, quos *Discalceatos* nuncupant, Congregationes, nimirum *Hispanica* & *Italica*, quarum singulæ suum habent Præpositum Generalem.

Hispanica Congregatio.

Hispanica à Sixto V. Papa in aliquot prouincias est distributa, & à Clemente VIII. proprium obtinuit Generalem, qui in Hispania sedem habet. Sunt huius instituti prouinciæ in Hispania nunc quinque aut sex, & monasteria circiter centum. Ad eamdem Congregationem pertinent Mexicanum, & alia Indiæ Occidentalis monasteria. Præcipuus restitutæ obseruantiæ propagator fuit B. *Ioannes Crucius*, hortante B. *Teresia* virgine, obijtque anno 1591.

Congregatio S. Eliæ.

Italica seu *S. Eliæ* Congregatio complectitur non solùm Italiæ, sed etiam Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Belgij, Lotharingiæ, Indiæ Orientalis, Persiæ, aliarumque prouinciarum monasteria.

Quod ad Belgij monasteria attinet, sunt ea non pauca, puta, *Bruxellense*, *Louaniense*, *Antuerpiense*, *Duacense*, & *Insulense*, præter *Leodiense* & *Coloniense*, sub ditione Imperij Germanici. In ijsdem opidis, itemque alijs sunt & Virginum Carmelitanarum Discalceatarum cœnobia sanè illustria: inter quæ eminet *Bruxellense*, regio sumptu excitatum ac dotatum à Ser.mis Belgarum Principibus *Alberto* & *Isabella Clara Eugenia*.

De

De his plura si voles, libellum nostrum de origine Carmelitarum Antuerpiæ editum consule.

In Polonia habent PP. Carmelitæ Discalceati cœnobia tria, *Cracouiense*, *Lublinense* & *Leopoliense*, præter virginum monasteria non pauca: ad quæ fundanda primæ moniales ex Bruxellensi conuentu sunt missæ.

De Scriptoribus ord. Carmelitarum, post Trithemium & Petrum Lucium, plenus exstat commentarius, studio R. P. *Thomæ à Iesu* Bratiensis, Præfecti Prouincialis Discalceatorum in Belgio.

CAPVT XX.

De B. Teresia ordinis Carmelitarum reformatrice, & alijs Sanctis ord. Carmelitarum.

B. Teresia Abulæ in Hispania, singulari quadam Dei prouidentia, illis temporibus nata est, quibus Lutherus excucullatus apostata virus in Ecclesiam cœpit effundere. AEtate iam grandior monasticen amplexa, ac demum austerioris vitæ cupida, supra muliebrem naturam, supra vires ac conditionem sui sexus se extulit. Plurimis namque monasterijs per Hispaniam excitatis, primæuam sui ordinis disciplinam adeò faustè instau-

Anno 1515.

ſtaurauit, vt non modò virgines innumerabiles, ſed viros quoque doctrina & ſanctitate eximios ad imitationem pellexerit, atque ad cœnobia arctioris inſtituti condenda permouerit. Fuit autem progreſſus Deo adiuuante tantus, vt Congregatio à Sixto V. in prouincias quinque per Hiſpaniam diſtributa, & pòſt à Clemente VIII. proprium nacta fuerit Præfectum Generalem. Quæ quidem cùm Hiſpaniam impleuiſſet, & ad Occidentales Indos palmites porrexiſſet, in Italiam demum pedem intulit, atque in ipſa vrbe Roma collegium ſeu Seminarium inſtituit, ex quo ſodales feruentiores, doctrina, linguarum peritia, & alijs eiuſmodi dotibus inſignes, pro Christo legatione functuri, ad exteras quaſque nationes emitterentur. Itaque ſacræ ſigna militiæ inde in Sarmatiam ad Septemtrionem, in Indiam Perſiamque ad Orientem, & nuper in Galliam Celticam & Belgicam, atque in ipſam Germaniam ſunt prolata. Obijt autem B. Tereſia an. 1582. à Paulo V. Papa inter Beatas virgines relata.

Ad eius tumulum Albæ in regno Caſtellæ hæc legitur inſcriptio: *Rigidis Carmeli Patrum reſtitutis regulis, plurimis virorum feminarumque erectis clauſtris, multis veram virtutem docentibus libris editis, futuri præſcia, ſignis clara, cæleſte ſidus ad ſidera aduolauit B. Virgo Tereſia IV. Non. Octob.* CIↃ. D. XXCII. *Manet ſub marmore non cinis,*

nis, sed madidum corpus incorruptum, proprio suauissimum odore, ostentum gloriæ.

De alijs Sanctis Ordinis Carmelitarum.

EXstant Officia propria Sanctorum ord. Carmelitarum, pro sodalibus Discalceatis an. 1617. Antuerpiæ typis Plantinianis edita, & à Sacra Rituum Congregatione Romæ approbata: ex quibus libet serie mensium Sanctos huius ordinis velut in tabella proponere.

S. Dionysius Papa & confessor. *19. Ian.*

S. Anastasius martyr. *22. Ian.*

S. Cyrillus Episcop. Alexandrinus in AEgypto, & confessor, floruit an. 430. Nestorianorum antagonista. *28. Ian.*

S. Petrus Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, & martyr, obijt an. 1366. Famagustæ in Cypro. *29. Ian.*

S. Andreas Episcopus Fesulanus obijt an. 1373. & quiescit Florentiæ apud Carmelitas. *30. Ian.*

S. Euphrosyna Virgo. *11. Febr.*

S. Auertanus confessor, natione Francus, floruit an. 1370. *25. Febr.*

S. Cyrillus confessor, Prior in monte Carmelo, floruit circa an. 1200. *6 Mart.*

S. Euphrasia Virgo. *13. Mar.*

S. Ber-

29. *Martij.* S. Bertholdus confessor, IV. Ordinis Magister, floruit anno 1212.

8. *April.* S. Albertus Episcopus, & confessor. Ita legitur in dictis Officijs proprijs. Designatur autem, nisi fallor, Albertus Patriarcha Ierosolymitanus, qui anno 1171. Carmelitis vitæ Regulam præscripsit.

5. *Maij.* S. Angelus martyr in Sicilia anno Christi 1214.

16. *Maij.* S. Simon Stocquius, natione Anglus, V. Ordinis Magister generalis obijt Burdigalæ an. 1265.

14. *Iunij.* S. Eliseus Propheta.

20. *Iulij.* S. Elias Propheta.

7. *Aug.* S. Albertus confessor, in monte Drepano apud Siculos natus, anno 1297. Messanæ obijt.

2. *Sept.* S. Brocardus confessor, & Prior in monte Carmelo, floruit an. 1171.

24. *Sept.* S. Gerardus Episcopus & martyr.

5. *Oct.* B. Teresia virgo obijt anno 1582. & quiescit Albæ in Castella.

CAPVT XXI.

Ordo Minimorum per S. Franciscum Paulanum institutus.

FRanciscus Paulæ, quod est Calabriæ opidum, loco humili natus est: quem parentes, cùm diu prole caruissent, voto facto, beati

beati Francisci precibus susceperunt. Is puer diuino ardore succensus, in eremum secessit, vbi annis sex victu asperam, sed meditationibus cœlestibus suauem vitam duxit. Sed cùm virtutum eius fama longiùs manaret, multique ad eum pietatis studio concurrerent, fraternæ charitatis caussa è solitudine egressus, ecclesiam prope Paulam ædificauit, ibiq; prima sui Ordinis fundamenta iecit.

Erat in eo mirifica loquẽdi gratia: perpetuã virginitatem seruauit, humilitatem sic coluit, vt se omnium minimum diceret, suosq; alumnos *Minimos* appellari voluerit. Rudi amictu, nudis pedibus incedẽs, humi cubabat. Cibi abstinẽtia fuit admirabili: semel in die, post solis occasum, reficiebatur, & ad panẽ, & aquæ potũ vix aliquid eiusmodi obsonij adhibebat, quo vesci in Quadragesima licet: quã consuetudinem vt Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.

Multis miraculis serui sui sanctitatem Deus testari voluit; quorum illud in primis celebre, quòd à nautis reiectus, Siciliæ fretum, strato super fluctibus pallio, cũ socio transmisit. Multa etiam futura Prophetico spiritu prædixit. A Ludouico Vndecimo Francorũ Rege expetitus, magnoque in honore est habitus. Denique annum primum & nonagesimum agens, Turonis migrauit ad Dominum anno salutis millesimo quingentesimo septimo: cuius corpus dies vndecim insepultum 1507.

ita incorruptum permansit, vt suauem etiam odorem efflaret. Eum Leo Papa decimus in Sanctorum numerum retulit, an. 1519. petente in primis Galliæ Rege.

Ceterùm ordinis Minorum cœnobia potissimùm florent monasticæ disciplinæ obseruantia per vniuersũ Galliæ regnum. Quo factum, vt Alberto & Isabella, Serenissimis Archiducibus apud Belgas imperantibus, è Celtica in Belgicam nostram transierint, magno bonorum omnium applausu, & noua varijs in locis monasteria excitarint, vt Antuerpiæ, Bruxellis, Anderlaci, Insulis Flandrorum, Leodici, & non vno loco in Burgundiæ Comitatu.

CLE-

CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONES Variæ.

LIBER IV.

CAPUT I.

Congregatio Barnabitarum, itemque altera Somaschensium Clericorum, per B. Hieronymum Æmilianum circa an. 1532. instituta.

NOstra patrumque memoria vt varij monachorum ordines veterem disciplinam in vsum reuocarunt, sic & variæ Clericorum seu Presbyterorum sæcularium, vt vocant, Congregationes sunt exortę, qui more Apostolico in communi viuentes quandam primitiuæ Ecclesiæ faciem repręsentant.

Barnabitarum seu *Apostolicorum* antiquissi-

ma familia apud Italos nunc ſub S. Auguſtini regula militat ex decreto Innocētij VIII. qui an. 1484. illis regulam S. Auguſtini præſcripſit. Refert ea Congregatio ſua initia ad S. Barnabam Apoſtolum.

Sunt & aliæ aliquot in Italia Clericorum reformatorū familiæ, vt *Somaſchenſis, Theatina*, & aliæ. de quibus ex ordine acturus, pauca præmittam de B. Hieronymo Aemiliano Somaſchenſis congregationis parente ac conditore.

Beatus Hieronymus AEmilianus, patricius Venetus, varijs pro Republica Veneta muneribus egregiè perfunctus, bello ex Cameracenſi fœdere aduersùs Venetos æſtuante ad fines ipſorum tutandos deſtinatur, qui ab exercitu Maximiliani Cæſaris in Caſtro nouo obſeſſus, captus & vinculis conſtrictus, ope Sāctiſſimæ Virginis Deiparæ eripitur, ac per medios hoſtes deductus, Taruiſium incolumis peruenit. Tanti autem haud immemor beneficij, patrimonio pauperibus diſtributo, vale dicens ſæculo, in pietatis officijs ſe ipſum cœpit exercere. Itaque non modò Venetijs, ſed & in alijs Italiæ vrbibus, pueros parentibus deſtitutos, in vnum collectos in exſtructis à ſe ædibus alendos curauit; quod & circa puellas præſtitit. Multis autem peragratis vrbibus, in *Somaſcha* caſtro (quod inter Bergomum & Larium lacum occurit) demum ſubſtitit, ibique multis ad eum confluentibus alum-

alumnis congregationis Somaſchenſis fundamenta iecit, multis fulgens miraculis. Nam cùm fame multi in proximis regionibus ob victus inopiam conficerentur, ipſe pane in gremio ſuo diuinitus aucto non ſolùm ſuos, ſed etiam exteros quoſque aduentantes pauit. Ita verò dæmonibus erat formidoloſus, vt eos è multis obſeſſorum ad eum cateruatim aduenientiũ corporibus eijceret. Spiritu quoque Prophetico afflatus, multa, quæ ita euenere, prædixit. Denique obitus ſui præſcius, annum quinquageſimum agens ætatis, 9. Martij ceſſit è vita, anno reparationis noſtræ milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo. 1537. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, ex eius Vita per Andream Stellam, eiuſdem Congregationis Præfectum generalem ſcripta.

Officio nondum colitur Eccleſiaſtico: ſepulcrum tamen eius in multo eſt honore, ob varia miracula ibi patrata.

CAPVT II.

Congregatio Clericorum S. Pauli.

CONgregatio Clericorum S. Pauli, apud Italos pariter florens, an. 1533. à Clemente VII. eſt confirmata: à quo ſit inſtituta, certò nondum comperi.

CAPVT III.

De Theatinorum origine.

CLericorum Regularium, quos Theatinos vocant, ordinem instituit Ioannes Petrus Caraffa, qui postea Paulus IV. Papa est appellatus. Is & generis nobilitate, & litterarum eruditione spectatissimus, cùm esset Theatinus in regno Neapolitano Episcopus, relicto Episcopatu, cũ alijs tribus æquè pijs ac nobilibus viris, Caietano Thianæo, Bonifacio à Colle, & Paulo consiliario, familiam regularem, ab Episcopo ceteris clariore Theatinam dictam, Condidit. De Paulo IV. & tribus eius socijs exstant Collectanea Historica, per Antonium Caracciolũ, eiusdem sodalitij clericum, an. 1612. Coloniæ publicata. Theatinorum institutum anno 1524. Clemens VII. confirmauit.

CAPVT IV.

De Societate Iesu.

SOcietas Iesu, magno vniuersæ Ecclesiæ bono, per totum terrarum orbem diffusa, conditorem post Deum agnoscit Bea-

Beatum Ignatium Loiolam, nobili genere apud Cantabros natum: qui anno 1534. ſocios aliquot ſibi primùm adiunxit. Ipſam ſocietatem Paulus III. Papa anno 1540. confirmauit, diplomate ſolemni edito. Eius Hiſtoriam elegantiſſimo ſtylo conſcripſit Nicolaus Orlandinus.

Ad meliorem porrò vitam anno 1555. Ignatius tranſijt, à Paulo V. Papa anno 1609. inter Beatos relatus. Vitam eius litteris conſignarũt Ribadineira & Maffeius.

Ceterùm hoc Societati proprium eſt, perpetuò ſuos, ſponſione voti addita, habere promptos ad obſequium Rom. Pontificis, vt quocumque ille iuſſerit Euangelij cauſſa, ſine recuſatione contendant. Proprium item, toto orbe terrarum gymnaſia aperire, ad iuuentutem non modò liberalibus diſciplinis, verùm etiã Chriſtianis moribus imbuendam. Proprium denique, catecheſim ſeu Chriſtianę doctrinæ elementa pueris & imperitæ multitudini paſſim tradere.

* * *
* *

CAPVT V.

De Congregatione Oratorij in Italia.

Congregatio Oratorij, quæ est sæculariū, vt vocant, Sacerdotum in cōmuni viuentium; conditorem agnoscit B. *Philippum Nerium* Florentinum, qui anno ætatis 80. Christi 1595. Romæ viuere desijt. Vitam eius scripsit *Antonius Gallonius*, eiusdem Congregationis presbyter.

Ex eadem Congregatione fuere, *Cæsar Baronius*, Annalium Ecclesiasticorum conditor, postea Cardinalis, *Thomas Bozius*, & alij viri doctrina vitæque integritate clari quàm plurimi.

Præter *Romanum*, exstant varijs in locis Oratoria constructa non pauca puta *Neapolitanum*, *Septempedanum*, *Anxanum*, *Lucense*, *Firmanum*, *Panormitanum* in Sicilia, *Fanense*, *Patauinum*, *Vicentinum*, *Ferrariense*, *Tononiense* in diœcesi Geneuēsi apud Allobroges & *Foroiuliense* in Prouincia apud Francos.

* *
* *
*

CA-

CAPVT VI.

De Congregatione Oratorij in Gallia, Belgio, viciniſquê prouinciјs.

B. Philippi Nerij exemplo motus D. *Petrus Berulius*, vir generis nobilitate, morum vitæque integritate, ac doctrina clariſſimus, Congregationem Oratorij in regno Galliæ, maximo Eccleſię bono, temporibus Ludouici XIII. Regis excitauit, Paulo V. Papa approbante, & Gallicanis Epiſcopis quàm maximè applaudentibus ac promouentibus.

Ac primum quidem Pariſijs Oratorium *Berulius* inſtituit: poſt quod alia toto regno ſunt ædificata, vt *Rotomagenſe, Lugdunenſe, Toloſanum, Rupellenſe, Salmurienſe, Montmorentianum*, & cætera.

Sic & poſtea in Burgundiæ Comitatu, atque in Belgicis prouincijs Oratoria ſummo fructu ſunt instituta; fauentibus in primis Ser.mis Belgarum Principibus *Alberto* & *Iſabella Clara Eugenia*.

* * *

CAPVT VII.

Ordo Ministrantium infirmis.

CОngregatio Clericorum Ministrantium infirmis sumpsit exordium ab admodũ R. P. *Camillo Lælio, de Sellis*, Theatinæ diœ-
1586. cesis, anno à virgineo partu millesimo quingentesimo octogesimo quarto, aut sexto: qui cum quibusdam suis socijs, scilicet P. *Francisco Prophera*, P. *Bernardino Norcino*, P. *Curtio Lodio* & P. *Blasio de Opertis*, huius congregationis obtinuerunt approbationem à Sixto V.
1586. Summo Pontifice, anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo sexto. Quæ quidem cógregatio postmodũ à Gregor. XIIII.
1591. anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo fuit innumeris decorata priuilegijs. Dictus P. Camillus fuit primus Pręfectus Generalis prædictæ congregationis, maxima cum laude, animarum salute, Congregationisque profectu.

Bulla Sixti V. exstat in Bullario Regularium Emanuelis Roderici.

* * *

CA-

CAPVT VIII.

Ordo Clericorum Regularium Minorum.

CONgregatio Clericorum Regularium Minorum principium habuit in ciuitate Neapolitana ab admodum R. P. *Augustino Adornio* Genuensi,& aliquot eius socijs, videlicet *Ioanne Francisco*, & *Fabricio* illustrissimæ familiæ *Caracciolorum*, sub Sixto V. Summo Pontifice, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo octauo aut nono; *1589.* fuitque postmodum confirmata à Gregorio XIIII.& à Clemente VIII. & priuilegia Patrũ Theatinorum fuerunt eisdem concessa, adeoque omnium aliorum Mendicantium, per viam participationis. In vrbe Neapolitana sacratissimum & antiquissimum templum sanctæ Mariæ Maioris cum continuis ac feruẽtissimis orationibus, alijsque carnis macerationibus, summa cum laude ac proximorum salute inhabitant. Qui quidem P. Augustinus Neapoli, biennio ferè post supradictæ congregationis fundationem, sanctissimo fine quieuit.

In vrbe Roma dicti Clerici Regulares minores conuentum habent ad S. *Laurentium in Lucina*, & alterum *ad S. Agnetem in Agone.*

CA-

CAPVT IX.

Congregatio Clericorum seu Presbyterorum B. Mariæ Magdalenæ.

HAEc Congregatio alio nomine dicitur Congregatio Clericorum *de Pœnitentia*, estque instituta Romæ initio Pontificatus Clementis Octaui. de fundatore nihil adhuc comperi.

Finis libri quarti.

ORI-

ORIGINVM MONASTICARVM AVCTARIVM,

siue

LIBER V.

AVBERTVS MIRAEVS
BRVXELLENSIS, *Protonotarius Apostolicus, & S. Theologiæ Licentiatus publicabat.*

AMPLIS-

AMPLISSIMO PRAESVLI,

D. GVILIELMO DEL CASTILLO, ABBAti Bodeloensi, Ordinis Cisterciensis.

Q*Vantum vniuersa Respublica Christiana Ordini vestro sanctissimo, Præsul amplissime, debeat, nemo præteritorum sæculorum vel mediocriter peritus ignorat. Sanctus* Bernardus, *alter velut familiæ vestræ parens ac conditor, Ecclesiam vniuersam à periculosissimo Petri Leonis schismate liberauit, & Innocentium secundum, legitimum Christi Saluatoris nostri in terris Vicarium, Romana in sede restituit ac collocauit. Nobilissimum Galliæ regnum, quod Albigenses hæretici spe iam deuorauerant, instituti vestri* Abbates XII. *à diabolica seruitute vindicarunt, & primi velut signum quoddam ad oppugnandam ac debellandam gentem impiam sustulerunt. Fortissimi Equites vestri,* Calatrauæ, Alcan-

cantaræ, Christi, Auisij, & Montesiæ, *Castellam, Lusitaniam, Valentiam, aliaqúe Hispaniarum regna Mauris sua virtute eripuerunt. Beatus* Petrus Castronouanus, *martyr, & primus hæreticæ prauitatis Inquisitor, ad comprimendos in Gallia Albigenses, sanctissimum tribunal primus constituit: cui deinde alij ex Ordine vestro sodales atque Abbates magna cum laude præfuerunt. Ab his velut lampada accipiens* S. Dominicus, *Prædicatorum antesignanus ac primipilus, idem postea munus sustinuit, hodieqúe sodales Dominicani in Italia, Hispania, alijsqúe orbis Christiani prouincijs, magno vniuersæ Ecclesiæ bono, sustinent.*

Hæc & alia maiorum vestrorum præclara facinora, post Origines Monasticas in ordinem redactas, sacram superiorum temporum historiam percurrenti mihi, (qua quidem capior inprimis) cùm occurrissent; operæpretium facturum me putaui, si ea breuiter digesta ad calcem Originum publicarem: eò magis, quòd paucis hæc nota aut saltem animaduersa obseruarem. Benigno itaque vultu istud nostrum Originum Monasticarum Auctarium *accipe: in quo plurimos vitæ sanctitate morumq;*

rumque integritate spectatos ordinis vestri Episcopos, Abbates, *ac* monachos *reperies, per quos ad Abbatiale munus ceu ad cotem animum exsuscites interdum & acuas: etsi sponte currenti calcar adhibendum non existimem. Nota enim toti Belgicæ pietas tua, nota modestia, nota doctrina, nota deniq; industria, animique magnitudo, qua nouum à fundamētis templū in vrbe Gādensi excitatū ad verticem vsque produxisti, & stabilem fixamque tuis in Flandriæ metropoli sedem ac domicilium fixisti. An laude & testimonio nostro hæc fieri maiora queunt? ne indigent quidem, nec tua id singularis modestia patitur. Vale itaque, & pignus hoc meæ erga Te obseruantiæ, quamdiu quidem exstare poterit, æternum habeto. Bruxellis anno gratiæ* CIↃ. IↃC. XX. *Idibus Ianuarijs.*

R[dæ]. admodum Ampl.[nis]
Vestræ studiosissimus
Aub. Miræus.

IN-

INDEX CAPITVM.

ORIGI-

ORIGINVM MONASTICARVM AVCTARIVM.

CAPVT I.

De monasterij Cluniacensis Origine, primisquê Abbatibus.

SVperioribus diebus meas in manus venit Bibliotheca Cluniacensis, à Martino Marrerio (quē Lutetiæ monachum ad S. Martinū Campensem, an. 1610. familiariter nouimus) & Andrea Quercetano Turonensi publicata. Sunt in ea non pauca ex illius loci monumentis, publicisq; Galliarum ac priuatis Bibliothecis fideliter deprompta, quæ lectorem istarum rerum curiosum meritò delectent. Instar apis itaque nonnulla ex amplissimo illo campo selegimus, quæ per modum Auctarij hic visum fuit subnectere.

Quis primus nobilissimi Cluniacensis monasterij conditor fuerit, magna est quæstio. Guilielmus Paradinus, Petrus San-Iulia-

nus, Iacobus Seuertius, Bugnonius, & cæteri recentiores rerum Burgundicarum scriptores, *Guarino* Comiti Matisconensi, & Cabilonensi, veteres autem scriptores omnes *Guilielmo Pio*, Aquitaniæ Duci & Aruerniæ Comiti eam gloriam tribuunt. Quibus consentit & Testamentum eiusdem Guilielmi, eiusque coniugis *Ingelbergæ*, anno Imperij Caroli Magni vndecimo datum ac signatum.

Cluniaci fundator.

Constat quidem, *Guarinum* Comitem villam Cluniacum ab *Hildebaldo* Matisconensi Episcopo, via permutationis, vt loquuntur, accepisse, ibidemque Capellam in honorem S. Mariæ & S. Petri ædificasse, iuxta diploma Ludouici Pij Imp. anno duodecimo Imperij Aquisgrani datum, quo dictam permutationem Imperator confirmat: Sed in illo diplomate nulla prorsus Cluniacensis monasterij fit mentio. Quo fit, vt cum Ioanne Quercetano, qui Bibliothecam Cluniacensem eruditis Notis illustrauit, censeam, fundatoris titulo *Guilielmum* Ducem haudquaquam esse spoliandum.

Ceterum *Guarinus*, & *Aua* eius coniux, morientes, quidquid iuris in Cluniaco habebãt, eidem Guilielmo Duci reliquerunt. Is, *Bernone* Abbate Gigniacensi ad se euocato, Cluniaci monasterium exstruere cœpit, quod Eblus Pictauorum Comes & Guilielmi cognomento Pij in Aquitaniæ Ducatu successor postea perfecit.

Cluniacum fũdatur an. 910.

Mor-

Mortuus eſt autem Guilielmus an. 918. aut 920. in Briuatenſi vico apud S. Iulianum martyrem ſepultus. Flodoardus tamen chronographus Remenſis dicit, illum ſuperuixiſſe ad annum vſque nongenteſimum viceſimum ſeptimum.

Primus itaque Cluniacenſis Abbas fuit B. *Berno*, qui Guilielmo Duce ſumptum ſuppeditante, cœnobium Cluniacenſe conſtruxit. Quo fit, vt à multis medij æui ſcriptoribus eiuſdem fundator nuncupetur. *B. Berno Abbas I. Cluniacenſis.*

B. Bernoni ſucceſſit S. *Odo*, Martyrologij Romani tabulis ad diem 18. Nouembris adſcriptus. Eius vita per *Ioannem* monachum Cluniacenſem, natione Italum, ac diſcipulum, exſtat apud Surium, & fuſior in Bibliotheca Cluniacenſi. Obijt autem in S. Iuliani monaſterio, diœceſis Turonenſis, quod à Danis deſtructum *Theotolo* Archiepiſcopus inſtaurauit. Idem Odo vitam S. *Geraldi* Auriliacenſis Comitis libris quatuor complexus eſt, quos cum reliquis eiuſdē operibus Quercetanus publicauit. Fuit autem S. *Odo* primus totius ordinis Cluniacenſis reformator ac pater: ideoque à Sigeberti noſtri Gemblacenſis interpolatore & alijs vocatur primus Abbas Cluniacenſis. *S. Odo Abbas II.*

Odoni defūcto ſuffectus eſt Aimardus ſeu *Ademarus*: Ademaro autem S. *Maiolus*, in Romanos faſtos die vndecimo Maij relatus. Vitæ eius hiſtoria per S. Odilonem pro- *Ademarus Abbas III. S. Maiolus IV.*

 ximum

ximum successorem, & altera per monachum quendam Siluiniacensem scripta exstat in Bibliotheca Cluniacensi. Obijt autem anno 954. & quiescit S. Maiolus Siluiniaci, in diœcesi Augustodunensi : quod monasterium Archembaldi viri nobiles fundarunt.

S. Odilo V. Abbas. Anno nongentesimo nonagesimo tertio, *Odilo Aruernæ oriundus, ex clerico Briuatensi monachum professus in Cluniacensi cœnobio, post Maiolum præficitur ipsi cœnobio, quod per annos LVI. miro religionis feruore rexit & prouexit. Qui egregiè, præter cetera pietatis insignia, non solùm vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit; qui cùm reprehenderetur, quòd in peccantes misericordior iusto esse videretur, Si damnandus sum, inquit, malo damnari de misericordia, quàm de duritia* : vt Sigebertus Gemblacensis in Chronico loquitur. *Idem primus cõmemorationem omnium fidelium defunctorum, prima die post festum omnium Sanctorum, in suis monasterijs fieri præcepit: quem ritum postea vniuersalis Ecclesia recipiens comprobauit:* vt in Romano Martyrologio Kal. Ianuarij legitur. Obijt autem an. Christi millesimo quadragesimo octauo, ætatis suæ anno octogesimo septimo: vt in eius vita Petrus Damianus & Sigebertus in Chronico notant. Scripsit is vitam B. *Adelheidis* Imperatricis, quæ in Bibliotheca Cluniacensi exstat typis edita.

An. 1048

Post

Post S. Odilonem in regimine *S. Hugo* succenturiatus est, Romano Martyrologio ad diem 29. Aprilis insertus. Vsus est eo familiarissimè Gregor. VII. Papa, cuius ad illum exstat epistola anno 1078. data. Obijt autē an. Christi millesimo centesimo nono, vt Sigeberti nostri Gemblacensis interpolator & alij notant. Vitæ historiam scripsit *Hildebertus* Episcopus Cenomanensis, ab Andrea Quercetano in Bibliotheca Cluniacensi editam. Quæ apud Surium exstat, per Hugonem monachū Cluniacensem, illius coætaneum, litteris est consignata. Discipulum inter alios S. Hugo habuit *S. Morandum*, monachum Cluniacensem, cuius gesta pariter leguntur in Bibliotheca Cluniacensi. *S. Hugo Abbas VI.* *S. Morādus.*

Post S. Hugonem, ex ordine Abbates fuere *Pontius*, *Hugo* eo nomine *secundus*, & B. *Petrus Mauritius*, cognomento *Venerabilis*. Horum postremus, nobili genere natus, primùm miles, deinde monachus Cluniaci fuit. Idem S. Bernardo Abbate Claræ-vallis familiarissimè vsus est, vt Epistolæ vltrò citroque missæ comprobant. Scripsit varia à Trithemio, Baronio, Bellarmino, alijsque laudata, quæ vnum in corpus collecta leguntur in Bibliotheca Cluniacensi Lutetiæ edita. *B. Petrus Venerabilis, Abbas IX.*

CAPVT II.

De Cluniacensis familiæ prouincijs, ac monasteriis singularum prouinciarum.

INter varias familias, sub S. Benedicti signis militantes, nigrorum (vt à colore vestis nuncupant) monachorum, longè nobilissima fuit *Cluniacensis*, à Cluniaco d. Matisconensis archicœnobio nomen mutuata. Fuit ea olim in prouincias decem partita, videlicet *Lugdunensem, Franciæ, Prouinciæ, Pictauiensem, Aruerniæ, Vasconiæ, Alemanniæ, Lombardiæ, Hispaniæ, & Angliæ*. Quot & quæ præcipua singulis in prouincijs monasteria fuerint, paucis commemorabo.

PROVINCIA LVGDVNENsis.

CLuniacum, totius ordinis caput, in diœcesi Matisconensi, anno 910. fundatum.

Gigniacum, in diœcesi Lugdunensi, B. *Berno*, ex Comite primus Abbas Gigniacensis, fundauit: vt interpolator Sigeberti Gemblacēsis ad an. 895. commemorat. Idem quoque Balmensis, in d. Vesontionēsi, ac demum Cluniacensis Abbas fuit. Habet autem Gigniacum annexos minoris notæ Prioratus, hoc est, vnius, duorum aut trium monachorum

rum cellas, sexdecim.

Cari Loci Monasterium, in d. Matisconensi, fundarunt *Robertus* Valentinus Episcopus, eiusque frater *Eduardus*.

S. Marcelli monasterium, iuxta Cabilonem, fundauit *Guntrannus* Burgundiæ Rex: vt notat Fredegarius in appendice ad Greg. Turonensem: quod Gaufredus Comes Cabilonensis S. Maiolo Abbati Cluniacensi postea tradidit.

Marciniacum, monialium cœnobium, in d. Augustodunensi seu Eduensi, fundauit S. *Hugo* Abbas VI. Cluniacensis.

Nantuacum seu Nantoacum, Prioratus in d. Lugdunensi.

Decanatus Paredi in d. Eduensi.

Decanatus S. Vincentij, ibidem.

Decanatus Vergei, ibidem. Numerantur autem Decanatus XIII. ordinis Cluniacensis in vniuersum.

Amberta, Prioratus in d. Lugdunensi.

De Salis, Prioratus ibidem.

S. Magdalenæ P. in Charlesio, ibidem.

S. Romani P. ibidem.

Complectitur prouincia Lugdunensis, præter Abbatiam Cluniacensem, nouemdecim Prioratus, & tres Decanatus.

PROVINCIA FRANCIAE.

PRæter Abbatiam *Belli Loci*, in hac prouincia sunt quinquaginta monasteria: ex qui-

bus 40. nominantur Prioratus, Decanatus 9. & domus vna. Est autem dicta Abbata sita in Argonia, & d. Virdunensi.

Prioratus B. Mariæ, de Charitate, in d. Autissiodorensi situs est in *Charitate* opido agri Niuernensis, ad Ligerim fluuium, & extructus à S. *Hugone* Abbate VI. Cluniacensi. Habet annexos quinquaginta Prioratus minoris notæ, seu non conuentuales.

Prioratus S. Martini de Campis, in vrbe Parisiensi, habet triginta Prioratus annexos præter varias Præbendas, Curas & Capellanias, vt nuncupant.

Prioratus S. Petri, in Abbatis-villa, & d. Ambianensi.

S. Arnulphi P. in opido Crispeio, & d. Siluanectensi, habet quattuor Prioratus annexos.

Longi Pontis P. in d. Parisiensi.

Decanatus S. Dionysij apud Nogetum Rotrodi, quod est opidum agri Pertici in d. Carnutensi, fundatorem agnoscit *Gaufridum*, vicecomitem Castri-dunensem. dictus Rotrodus fuit pater Gaufridi.

S. Saluij P. apud Valentianas Hannoniæ opidum, in d. Cameracensi, fundatorem agnoscit *Carolum Magnum* Imperatorē: vt in Originibus nostris Benedictinis docuimus.

B. Mariæ P. de Nantolio, in d. Meldensi.

S. Ste-

S.Stephani P.in d.Niuernensi.
S.Riueriani P.ibidem.
S.Marię P.in Monte Desiderij, & d. Ambianensi.
S. Theobaldi P. in Castro Vitriaco, & d. Catalaunensi.
S. Petri de Romiliaco P. in d. Boloniensi.
SS.Petri & Pauli de Burgo P. ibidem.
S. Stephani P. in Nameca & d. Leodiensi.
S.Seuerini P. in Condrosio, ibidem.
B. Mariæ P.de Bertreia ibidem.
S. Victoris de Ceio P. monialium, iuxta Huium opidum d.Leodiensis.
Domus de Annaio, d. Parisiensis.
Grandis Campus P. in d.Meldensi.
Luperciacum in d. Niuernensi, SS. Geruasio & Protasio sacrum.
Decanatus S. Cosmæ, in monte, d.Constátiensis.

PROVINCIA PROVINCIAE, Tarantasiæ, Delphinatus & Viennæ, habet Prioratus quadraginta quatuor.

S.Saturnini de Portu P. ad Rhodanum in d.Vceticensi, habet annexas cellas seu prioratus minores viginti septem.

S. Ioan-

S. Ioannis de Podoliano Prioratus, in d. Arausionensi, est vnitus cum collegio Aueniorensi S. Martialis, vt & domus Soergiæ.

Prioratus de Tornaco, in d. Nemansensi.

S. Victoris P, in d. Genuensi.

S. Marcelli P. Diensis, in d. Valentina.

PROVINCIA PICTAVIENSIS & *Santonensis*, complectitur Abbatias duas, Prioratus viginti & vnum, & Decanatum vnum.

MOnasterium Nouum, siue Abbatia SS. Ioannis Euangelistæ & Andreæ, in d. Pictauiēsi, habet annexos Prioratus octodecim, & vnam domum.

Abbatia S. Ioannis Angeliacensis, in opido eiusdem nominis, & d. Santonensi exstructa est à *Pipino* Aquitaniæ Rege, Ludouici Pij filio.

S. Eutropij Prioratus, in d. Santonensi habet annexos Prioratus minores tredecim.

Insulæ Aquēsis Prioratus, vulgò *Isle d'Aix*, in d. Pictauiensi.

Decanatus S. Ioannis de Roncenaco.

PROVINCIA ARVERNIAE, præter duas Abbatias, continet Prioratus nouem.

MAuziacensis Abbatia, in d. Claromontensi, fundata est per *Robertum* Aruerniæ Comi-

Comitem, eiusque filium *Guilielmum*, & tradita est Cluniacensibus anno millesimo nonagesimo quinto. Habet ea annexos Prioratus sexdecim.

Thiernensis Abbatia, in d. Claromontensi.

Siluiniacum, S. *Maiolo* sacrum, in d. Augustodunensi seu Eduensi, quinquaginta olim monachorum fuit, habetque annexos Prioratus vndecim, & domos quinque.

Celsiniarum P. in d. Claromontensi, 40. olim monachorum.

Prioratus de Riuis, 20. monachorum olim.

PROVINCIA VASCONIAE, præter Abbatias, complectitur Prioratus 12. & vnum Decanatum, cum vna domo.

MOisiacum Abbatia octoginta olim monachorum, in d. Cadurcensi, fundatum est à *Clodoueo* Rege Francorum, & instauratum à Ludouico Pio.

Abbatia S. Petri Lesatensis, aliàs de Pedelaxato, in d. Riuensi.

Abbatia SS. Geruasij & Protasij Exiensis, in d. Aginensi.

Abbatia Figiacensis, in d. Cadurcensi olim 40. monachorũ, fuit sæcularizata (vt loquuntur) per Carolum à Lotharingia Cardinalem, & Abbatem Cluniacensem. Est hodie

die Canonicorum collegium, vt arbitror, celebre.

S. Licerij P. in d. Tarbiensi.

S. Orientij P. in d. Auscensi seu Auxitana.

Decanatus S. Petri de Carennaco, in d. Cadurcensi.

Domus B. Mariæ de Moiracho, in d. Condomensi.

PROVINCIA ALEMANNIAE, Lotharingiæ, & Burgundiæ, præter Abbatiam Balmensem, continet Prioratus triginta.

BAlma, Abbatia in d. Vesontionēsi sita est. Eius fundator ac primus Abbas fuit *S. Euticius*: cui successit eius discipulus *Berno*, Abbas Gigniacensis, ac demum Cluniacensis. Bernoni successit eius nepos *VVido*, in regimine Gigniacensis, Balmensis, & AEthicensis monasteriorum: vt in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem tradit Andreas Quercetanus.

Paterniaci monasterium in d. Lausanensi fūdauit B. *Adelheidis* Imperatrix: quod S. Maiolo Abbati Cluniacēsi eiusque successoribus commisit.

Romani monasterij Prioratus, vulgò *Romanmonstier*, in d. Lausanensi.

De Vallibus P. in d. Vesontionensi.

De

De Mortua Aqua P. ibidem, *Mortault*.
De Loco Dei P. ibidem.
De Monte Richerio P. ibidem.
De Villario monachorum P. ibidem.
S. Nicolai de Salinis, ibidem.
De Calce P. ibidem, *de la Chaux*.
De Alta petra P. ibidem, *Hault Pierre*.
De Fontenaio P. ibidem.
De Porta ſupra Sagonam, ibidem.
Vallis-Cluſa P. ibidem, *Vaucluſe*.
Inſula medij Lacus P. in d. Lauſanenſi.
Prioratus de Sella, aliàs de Nigra ſilua.
De Megijs P. in d. Lauſanenſi.
Vendopera, *Vendoeure*, propè Nanceium Lotharingiæ metropolim, in d. Tullenſi.

PROVINCIA LOMBARDIAE ſeu *Italiæ*, complectitur 24. Prioratus conuentuales, præter Abbatias duas, & Prioratus minores eiſdem annexos.

ABbatia S. Benedicti, ad Padum fluuium, in d. Mantuana.
Abbatia monialium de Canturio.
S. Saluatoris monaſterium, iuxta Ticinum ſeu Papiã, exſtruxit B. *Adelheidis* Imperatrix, & S. Maiolo Abbati Cluniacenſi regulariter ordinandum tradidit.
S. Iacobi de Pontida P. 24. monachorum, in d. Bergomenſi.

S.Pau-

S. Pauli de Argono P. ibidem.
S. AEgidij de Fontenella P. ibidem.

PROVINCIA HISPANIAE, præter Abbatias, comprehendit viginti quatuor Prioratus conuentuales.

ABbatia Corneliana, apud Astures, in d. Ouetensi.

Campus Rotundus, Abbatia S. Petro sacra, in Catalonia, & d. Gerundensi.

Abbatia S. Mariæ Arularum, in Catalonia & d. Elnensi.

Monasterium B. Mariæ de Nagera, in d. Calagurritana, Prioratus olim triginta Monachorum.

Prioratus S. Pilij de Carrione, 24. monachorum, in d. Palentina.

S. Isidori P. 12. monachorum, ibidem.

S. Vincentij Prioratus, quinque monachorum, in vrbe & d. Salmanticensi datus est Petro Venerabili Abbati Cluniacensi, ab Alfonso Hispaniarum Imperatore.

Villa-Franca seu Vallis carceris in Gallæcia, & d. Asturicensi, Prioratus octo monachorum.

Prioratus S. Vincentij de Palumberijs, octo monachorum, in d. Lucensi.

Prioratus B. Mariæ de Ratis, quinque monachorum in Portugallia, & d. Bracarensi.

Sunt

Sunt qui his addunt Abbatiam S. AEmiliani Cucullati, in d. Calagurritana sitam: sed hæc & alia supra nominata monasteria hodie pertinent ad Congregationem Vallisoletanam.

PROVINCIA ANGLIAE ET Scotiæ, præter Abbatias duas, solet habere Prioratus conuentuales triginta sex, & domos tres.

PAsseletum, Abbatia Scotiæ, in d. Glascuensi.

Abbatia de Crossagnier, ibidem.

Ex dicto monasteriorum ordinis Cluniacensis Catalogo patet trecenta plus minus cœnobia curæ ac procurationi Abbatis olim Cluniacensis subfuisse, præter ducentos quinquaginta aut circiter Prioratus minoris notæ, seu non conuentuales.

Præter monasteria hactenus cõmemorata, & alia plurima institutum seu reformationẽ Cisterciensem olim sunt amplexa, vt *Bertinianum* apud Belgas, temporibus Hugonis Abbatis Cluniacensis, & alia alibi: vt nos in Chronico Benedictino docuimus.

Præter Sanctos instituti Cisterciensis, hactenus recensitos, laudatur & S. *Albertus* Abbas, libro de Sanctis Bergomensibus, per M. Antonium Benalium, & Ioannem Antonium Guernarium, Bergomi an. 1584. edito.

CAPVT III.

Congregatio reformata Lotharingica Monachorum Ord. S. Benedicti.

SVperioribus annis in Lotharingia exordium sumpsit reformata Benedictinorum Congregatio, cui postea non pauca regni Frãciæ, ac Burgundiæ cœnobia sese aggregarũt: in his Abbatia S. *Vincentij* in vrbe Vesontionensi, *Fauerniacum* in Comitatu Burgundiæ & diœcesi Vesontionensi, & alia. Eiusdem Congregationis sodalibus in vrbe Parisiensi an. 1618. traditum est à Ludouico XIII. Rege ac Parlamento Parisiensi monasterium Guilielmitarum.

Ceterùm dictæ Congregationis Patres, ne talentum suum defodiant, in concionibus ad populum habendis, confessionibus audiendis alijsque pijs actionibus, magno fidelium bono & applausu, sese exercent: vt in Hispania quoque faciunt Benedictini ac Cistercienses.

Haud abs re fuerit hoc loco subnectere breuem historiam Miraculi, quod an. 1608. circa Venerabile Sacramentum Eucharistiæ in Fauerniaco contigit. De quo sic Ioannes Chiffletius in descriptione Vesontionis, an. 1618. Lugduni edita.

Miraculum Fauerniaci. An. 1608. die Sancto Pentecostes, 25. Maij, in ecclesia antiquissimi monasterij B. Mariæ Virgi-

Virginis *De Fauernè*, (Aimoinus anno Christi 870. Fauerniacum vocat) ord. S. Benedicti, diœcesis Bisontinæ; cùm Indulgentiarũ tunc concessarum causa, sanctissimum Eucharistię Sacramentum, in duabus hostijs, ipsa eadem die cõsecratis, argẽteo Reliquiario, vnius ad minimũ marcę inclusũ, de more, populo propositũ fuisset: contigit, vt igne, quo fato nescitur, accẽso, mensa lignea, gradu, tabernaculo, mappis & alijs ornamentis absumptis, suppositoq; marmore humi fracto, Reliquiariũ graue & metallicum, cum duabus inclusis hostijs nõ modò illæsum, sed etiã in aere suspensum, absque vllo sustentante corpore solido, remaneret, idque per spatium triginta trium circiter horarum, vsque ad horam scilicet decimam matutinam diei Martis, tertij festi Pentecostes; cùm, vicino quodam Parocho, qui solenni supplicatione illuc aduenerat, Missã celebrante, & sacratissimã hostiã, post primã eleuationẽ, demittẽte, Reliquiariũ ex se sẽsim & leniter descẽdit, rectaq; Missali codici insedit, qui corporali cõtectus (vt cũ maiori reuerẽtia exciperetur, si fortè decideret) illi cum intermedio spatio fuerat suppositus. Quæ omnia visa sũt à quàm plurimis inculpatæ vitæ & integræ fidei testibus, quib' per Inquisitores idoneos auditis, firmatũ miraculũ, ad Dei Opt. Max. gloriã, & honorem, Ecclesiæ Catholicæ bonum & fidelium consolationem publicauit Ill.mus *Fer-*

dinandus de Rye, Archiepiſcopus Biſuntinus diplomate Veſontione 10. Iulij anni 1808. dato. Hoſtiarum miraculoſarum vna Fauerniaci remanſit, altera, iuſſu Ser.morum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Burgundiæ Principum, Dolam Sequanorum; maxima pompa, precibus publicis tranſlatá eſt, in feſto S. Thomæ Apoſtoli, eiuſdem anni 1608. cui deinde pius Aduocatorum cœtus,* ſub S. Iuonis patrocinio, Dolæ pridem inſtitutus, ſacellum ſplendidiſſimum exſtrui curauit, quod an. 1614. die 19. Maij idem Reuerendiſſimus Ferdinandus ritu ſolenni dedicauit. *Hactenus Chiffletius.*

CAPVT IV.

De Congregatione monachorum ſacra Ciſtercienſis obſeruantiæ in Hiſpania.

Anno. 1425. REformata iſta Congregatio, titulo S. Bernardi, anno milleſimo quadringẽteſimo viceſimo quinto, ſumpſit exordium. Auctor illius fuit *Martinus Vargas*, Doctor Theologus & monachus cœnobij Petræ, in Aragonia; qui Roma reuerſus, cum alijs duodecim monachis ac ſodalibus, in monaſterio *Montis Sion*, haud procul à Toleto, conſedit, & veterem diſciplinam monaſticam in vſum reuocauit, Romano Pontifice approbante. ſucceſſu temporis, vt fit, varia monaſteria exemplo

plo commota accesserunt: sic vt Congregatio ista hodie quadraginta ampliùs cœnobia in regnis Castellæ, Legionis, Gallæciæ, & Principatu Asturicensi sita cōplectatur. Sūt in his,

Mons Sion, in diœcesi Toletana.

Palasolum, in diœcesi Vallisoletana.

Vallis Bona, in eadem diœcesi.

Nucale monasteriū, in diœcesi Asturicēsi.

Melonense m. in Gallæcia.

Mons Rami, in diœcesi Auriensi.

Ouila, in d. Seguntina.

Carracedum, in d. Asturicensi.

Morerola, in d. Zamorensi.

Sacra Mœnia, in Castella.

Mons Salutis, in d. Conchensi.

Superatum, in d. Lucensi.

Spina, in d. Vallisoletana.

Maira, in d. Lucensi.

Offera, in d. Auriensi.

Horta siue Hortus B. Mariæ, in d. Seguntina.

Riuus siccus, in montibus Burgensibus.

S. Prudentij monasterium, in d. Calagurritana.

S. Martini de Castaneda, in d. Asturicēsi.

Armentera, in Gallæcia.

Benauides, in Castella veteri.

Iuncquera, in d. Auriensi.

Saltus Noualis, in d. Legionensi, vulgò Sandoual.

Vallis Paradisi, in d. Zamorensi.

Matallana, in d. Vallisoletana.
Herrera, in d. Calaguritana.
Buzedum, in d. Burgensi.
Vallis Ecclesiarum, in d. Toletana.
Horgia, in d. Tudensi.
Vallis Dei, in d. Ouetensi.
Mons ferus, in Gallæcia.
Villa Noua Offensis, in d. Mindoniensi.
Bellus mons, in d. Ouetensi.
Vega.
S. Claudij, in d. Auriensi.
S. Petri apud Gumielam, in d. Vxamensi.
Azeuerium, in Gallæcia.
Penna Maior, in d. Lucensi.
Franquera, in Gallæcia.

Præter dictas Abbatias, spectant insuper ad dictā Congregationē varij Prioratus monachorum, & non pauca virginum cœnobia: inter quæ eminēt *Hulgense*, & *Bethlehemiticum*, in vrbe Vallisoletana.

Huius porrò Congregationis Abbates nō perpetui (vt in Gallia, Germania, Belgica, & alibi) sed triennales sunt tantummodò. Singulis namque triennijs vniuersi Abbates conueniunt, & comitia celebrant in Palasolensi monasterio, haud procul à Vallisoleto: & primò Præfectum generalem (quem *Reformatorem* vocant) deinde *Visitatores* generales, ac demum *Abbates* singulorum monasteriorum eligunt atque constituunt.

Habet hęc Cōgregatio varia Collegia Philoso-

losophica ac Theologica, in quibus monachi Cistercienses optimis disciplinis ac moribus imbuũtur: quod exemplum vtinam Galliæ ac Germaniæ nostræ Abbates æmularentur! hoc præsertim tempore, quo tot Hæreticorum phalanges Ecclesiam orthodoxam vndique oppugnant.

Inter alia Hispaniæ collegia, eminent *Cõplutense*, quod ea in Academia *Ludouicus Strada* Abbas Hortensis fundauit, itemque *Salmanticense*, titulo B. Virginis Lauretanæ clarum.

In vtraque Academia plurimi sunt ex Ordine Cisterciensi Doctores ac Professores Theologiæ celeberrimi, quos *Cathedraticos* vocant: plurimi item Concionatores facundissimi ex istarum Academiarum aliorumque locorum gymnasijs quotidie, velut ex equo Troiano, prodeunt, magno fidelium commodo, nec minore Cisterciensium gloria atque ornamento.

CAPVT V.

De Congregatione Lusitanica monachorum Ord. Cisterciensis.

HVi⁹ reformatę Cõgregatiõis caput est Abbas *Alcobatiæ*, &cõplectitur ea monachorũ

cœnobia ſexdecim, monialium autem plùs minùs viginti. Habent itẽ Collegia ſua, præſertim *Eboræ* & Oliſipone, in quibus Philoſophica ac Theologica ſtudia mirificè florent.

Alcobatiæ fundator fuit *Alfonſus Henriques*, primus Portugalliæ Rex, monachos eò mittente *S. Bernardo*, Claræ Vallis Abbate. Narrant autem adſeruari ibidem Epiſtolam S. Bernardi, in qua hæc inter cetera leguntur, velut prophetico ſpiritu ſcripta: *Illud condentes monaſterium, in cuius duratione & integritate indelebile habebitis elogium regni veſtri, & in diuiſione redituum diuidetur à vobis corona veſtra.* Quod quidem aiunt eueniſſe temporibus Henrici Cardinalis, qui Sebaſtiano Regi in Africa cæſo ſuffectus ſine liberis obijt, & Philippo II. Caſtellæ Regi Catholico lampada regnumque tradidit.

Alcobatia porrò vt eſt omnium orbis Chriſtiani Abbatiarum ditiſſima, duos hodie Abbates habet, vnum Regularem ſeu monachum, alterum Commendatarium ſeu ſæcularem, qui nunc eſt D. *Ferdinandus*, Philippi III. Regis Catholici filius, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus poſtulatus.

* * *

CA-

CAPVT VI.

De Cisterciensium monasterijs in Aragonia, Catalonia, Valentia, & Nauarra.

INTER Aragoniæ cœnobia eminent *Verola*, multorum Episcoporum parens, *Rueda*, *Petra*, & *Sancta Fides*, haud procul à Cæsaraugusta.

In regno Valentiæ laudatur *Vallis Digna*, monachorum, & *Zaida*, monialium, in vrbe Valentina: cuius fundatrix exstitit B. Teresia Aragoniæ Regina.

In Catalonia notissimum est *Populetum*, haud procul à Barcinone situm, item *Sanctæ Cruces*, *Benefacia*, & *Scarpa*.

Horum regnorũ Abbates olim perpetui, nunc triennales tantũmodò aut quadriennales sunt, excepto Abbate Populeti. Introducta est ea reformatio temporibus Philippi III. Catholici Regis.

Nauarræ porrò Abbates, *Leriensis*, *Oliuensis*, *Maniliensis*, *Hiranquensis*, & *Fiteriensis*, sunt perpetui, & comparent in comitijs Ordinum regni, vt fit in Belgio & alibi.

CAPVT VII.

De Hulgensi Abbatia apud Burgos, & monasterÿs eidem subiectis: item de Congregatione reformata S. Annæ in Hispania.

HAud procul à Burgensi vrbe nobili apud Hispanos visitur *Hulgense* monialiũ cœnobium, ord. Cisterciensis, Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, si quod aliud, lõgè ditissimum ac nobilissimum; vtpote ad quod non nisi illustri genere natæ virgines admittuntur. Fũdatorem agnoscit *Alfonsum* Hispaniarum Imperatorẽ. Subsunt illi viginti ampliùs monialium cœnobia, in quibus Abbatissa Hulgensis solet Abbatissas cõstituere; eademq; per suos Deputatos visitare ac corrigere.

Eadem Abbatissa habet auctoritatem creãdi *Equites*, qui Crucem gestant, haud absimilẽ Calatrauensi, in veste exteriore. Sunt ij tribus votis monasticis obstricti, adeoque ad nuptias transire non possunt.

Congregatio monialium S. *Annæ* nostra ætate initium sumpsit in vrbe *Vallisoletana*; vbi primum monialium regularis obseruantiæ cœnobium, titulo S. Annæ, est ædificatum. Sunt alia deinde *Toleti, Talaueræ, Madriti*, &

ti, & alibi excitata: in quibus, præter abstinentiam à carnibus, summus disciplinæ monasticæ viget rigor: vt monialibus Carmelitanis discalceatis parum aut nihil cedere videantur.

CAPVT VIII.

De Cisterciensium monasterijs, Deiparæ cultu ac Miraculorum gloria claris in Belgio.

ETsi omnia ac singula Cisterciensis instituti cœnobia Virgini matri sint dicata; ex ijs tamen nõnulla præ reliquis Deus Opt. Max. Miraculorum splendore, ac frequẽtiore hominum concursu nobilitauit. Inter Belgica (nam de alijs alij dicent) eminent *Camberona* in diœcesi Cameracensi, *Laus B. Mariæ* in Tornacensi, & *Villarium* in Namurcensi sitũ.

Camberona ampla atq; illustris Abbatia, in Comitatu Hannoniæ, tertio lapide à Montibus, quę vrbs est metropolitana, amœno loco sita, anno salutis millesimo centesimo quadragesimo octauo à S. Bernardo Claræ Vallis Abbate initia sua accepit. Hoc in monasterio visitur imago Deiparæ, quæ anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo à Iudęo quodam perfido læsa cũ fuisset, mox sanguinem emisit. Historiam miraculorum illius loci cõscripsit VValrandus Caoltius, & Duaci anno 1606. publicauit.

Apud

Apud Insulas Flandriæ Gallicanæ emporium sita est Abbatia Laudensis, vulgò Lo nuncupata, quæ sacellum habet Deiparæ sacrum, frequēti piè peregrinantium concursu celebre.

De Villario libet paulò altiùs, in exterorum gratiam, repetere. Collis Asper, vulgò *Mons Acutus*, locus olim siluestris, nunc à paucis retrò annis opidum Brabantiæ, portis ac mœnibus clausum, haud procul à Sichemio, vetusto opido & arce, visitur. In dicto colle quercus annosa exstabat, cui imago seu statua Deiparæ pendebat affixa. Ad hunc locum cùm anno millesimo sexcentesimo tertio præsertim frequens hominum, opem ac solatium à Diua petentium, fieret confluxus, sacellum primò ex tabulis, pòst è lapide secto iuxtà exstructum, & anno millesimo sexcentesimo quarto, à *Matthia Houio*, Mechliniensi Archiepiscopo, sacratum est. Quercus autem, mandato *Ioannis Miræi*, patrui nostri, tunc Antuerpiensis Episcopi designati (quem ad Miracula discutiēda, aliaque pro bono piè peregrinantium statuenda idem Archiepiscopus eò miserat) paucis antea mensibus à stirpe excisa est: idque vel ideo, quòd trunco variè scisso & imminuto, cùm fragmenta & assulas quisque peteret, casum iam minaretur. Excisa itaque, & quod eius superfuit, à varijs piè ac religiosè est expetitum, vt inde statuas seu icones sibi faciendas curarent.

Anno 1603.

Sic

Sic & Ioannes Miræus ex fragmentis grãdioribus, domum allatis, statuas aliquot seu iconculas Deiparæ faciendas mandauit. Ex his vnam dono dedit D. *Roberto Henriono*, Abbati Villariensi: quam in sacello nouo, à fundamentis Villarij exstructo, cùm is collocasset, factus mox est accolarum ac longè dissitorum concursus, qui hodieque durat, præsertim febribus curandis. Itaque multa à varijs mox donaria sunt oblata: inter alios Amplissimus D. *Petrus Pecquius*, Brabantiæ Cancellarius, Versus istos, typis Plantinianis editos, Deiparæ sacrauit:

Nouem maligna febre fractus mensium,
Medicæq; iam spem mente deserens opis,
Opem requiro cælitus, supplex nouam,
Maria, ad aram prouolutus hanc tuam.
Voco Mariam; culpa matrem non sinit.
Sed ecce Mater, Mater illicò es mihi.
Quartana febris abijt, ô benignitas
Dei parentis immerens hominum in genus!
Abijt repentè febris. Id gestum rei,
Villariensis Aspricollis in iugo,
Cognoscat ætas nostra, postera & sciat.
Ego grata laudis vsque & vsq; cantica
Matri salutis offeram venerans meæ.
Prid. Kal. Iunij, M. DC. XIX.

CA-

CAPVT IX.

De Ordinibus Equestribus sub instituto Cisterciensi hodieque militantibus.

ORdinum in primis militarium virtute ac potentia Hispaniam à Maurorum seruitute liberatam esse, nemo in rebus Hispanicis vel mediocriter versatus ignorat. Ex dictis porrò Ordinibus plerique institutum Cisterciense etiamnum obseruant, & non pauci, qui iam desierunt aut alijs accesserunt, olim obseruarunt. Adeò quidem, vt non immeritò Ordinem Cisterciensem, *Hispaniæ à Maurorũ iugo vindicem*, nuncupare possimus. Magna certè gloria, & quam posteritas omnis iure optimo suspiciat atque æmuletur.

Florent porrò hodieque apud Hispanos, sub instituto Cisterciensi, vt dixi, Ordines militares quinque, videlicet,

Calatrauæ, in regno Castellæ,
Alcantaræ, in Extremadura,
Montesiæ, in regno Valentiæ,
Christi, in regno Lusitaniæ,
Auisij, in eodem regno.

Calatrauæ ordinem instituit B. Raimundus Fiterij Abbas an. 1159. vt Roderic⁹ Archiepiscopus Toletanus in Hist. Hisp. lib. 7. cap. 14.

Mariana

Mariana lib. 11. cap. 6. & alij testantur.

Dictus Ordo à Capitulo generali Cisterciensi sua Statuta accepit; vt constat ex diplomate Alexandri III. Papæ, anno 1164. Romę dato, & ex Radesio Andrada in Chronico Calatrauæ, cap. 10. & seqq.

Ordo Equitum *S. Iuliani de Piro*, in Portugalia anno 1156. sub cura Abbatis Morimundi sumpsit initium: vt constat ex diplomatibus Alexandri III. & Lucij III. Pontificũ. Is ordo postea mutuatus est nomen ab *Alcantara*, sui imis opido, & à Capitulo generali Cisterciensi sua pariter statuta accepit: vt idem Andrada testatur. *S. Iulian del Pereyro.*

Ordo *Montesiæ*, anno 1317. excitatus, subest Abbatibus Sanctarum Crucium & Vallis Dignæ, instituti Cisterciensis: vt idem Andrada, & alij tradunt. Institutor fuit Iacobus II. Aragoniæ Rex.

Ordo *Christi*, anno 1330. institutus, subiacet Abbati Alcobatiæ in Portugalia: vt Vincentius Bellouacensis in Spec Hist. lib. 31. cap. 41. & alij commemorant.

Ordo *Auisii*, anno 1162. in Lusitania inchoatus, non solùm Abbati Cisterciensi subest, sed quoscunque etiam Abbates illius ordinis hospitio excipere tenetur, & claues monasterij, ad quod venerint, eisdem tradere: vt constat ex diplomate à tribus Episcopis, & octo Lusitaniæ proceribus signato: quod Bernardus Brito in Chronico tom. 1. lib. 1. cap. 11. citat.

citat. De eodē Ordine vide Andreæ Pesendij libellū singularem, & Priuilegium Iulij III. Papæ, quod Emanuel Rodericus to. 1. quæst. regul. quæst. 3. art. 12. recitat. Auisij porrò ordinis institutór fuit B. *Ioannes Zirita*, Abbas Taroucanus.

Præter hos Ordines Hispanienses, floret insuper Ordo S. *Mauritij* apud Sabaudos ac Pedemōtanos, quem restituit, & sub instituto Cisterciensi contra Hęreticos militare iussit Gregorius XIII. Papa: vt constat ex diplomate anno 1572. die XVI. Kal. Octobris dato, quod Taurini excusum vidi.

Huic Ordini idem Pontifex, anno eodem, Idibus Nouemb. annexuit Ordinē Hospitalariorū S. *Lazari* Hierosolymitani, sub regula S. Augustini, iam inde ab aliquot sæculis militantem. Quo fit, vt hodie vocetur *Ordo Equitum S. Mauritij & S. Lazari.*

CAPVT X.

De Ordinibus Equestribus, qui olim sub instituto Cisterciensi militarunt.

SVnt ij varij, qui aut prorsus desierunt, aut cum alijs sunt vniti.

Primus occurrit Ordo *Templariorum* olim celeberrimus: quibus Regulam præscripsit S. Bernardus Abbas Claræ-Vallis, quā in Chronico nostro Cisterciensi publicauimus.

Ordo

Ordo Equitum *Alæ*, an. 1167. in Lusitania, sub cura & regimine Abbatis Alcobatiæ est institutus. Bernardus Brito in Chronico fusè illius Ordinis originem ac statuta recitat.

Ordo S. *Bernardi*, olim in Hispania notissimus fuit. De quo Mariana lib. 17. cap. 11. & Montaluus tom. 1. Chron. Cisterciensis lib. 2. art. 21.

Ordo militaris *S. Georgij de Alsama*, in regno Valẽtiæ institutus, postea accessit Montesianis: vt tradit Martinus Viciana in Chronicis Valentiæ, parte 3.

De Ordine S. *Iuliani de Piro*, qui Alcantaræ nomen pòst induit, dixi superiore capite.

Ordo *Montis Gaudij* in Castella, accessit Alcantarensibus: vt Andrada & Montaluus libris citatis tradunt.

Ordo militum *de Truxillo*, in Extremadura, vnitus est cum Ordine Alcantaræ: vt ijdem auctores narrant.

CAPVT XI.

De Ordinibus monasticis instituti Cisterciensis.

PRæter Ordinem Cisterciensem, per vniuersum penè orbem Christianum longè lateque diffusum, sunt insuper Ordines seu Cõgregationes aliquot, varijs in prouincijs,

 sub

sub instituto Cisterciensi militantes.

Ordo *Vallis Caulium* in diœcesi Lingonensi inchoatus, *in victu, vestitu, diuinis officijs, & alijs fere omnibus seruat instituta Ord. Cisterciensis:* vt loquitur Vitriacus Hist. Occid. cap. 17.

Ordo *Grandimontensis*, à B. Stephano Aruernensi anno 1126. excitatus, *regulam & instituta Cistertiensis ordinis in omnibus penè obseruat:* vt idem Vitriacus loquitur cap. 19.

Ordo *Gilbertinorum*, à B. Gilberto in Anglia anno 1148. fundatus. De quo Guilielmus Neubrigensis de rebus Angliæ lib. 5. cap. 16. Sanderus lib. 1. de Schismate Anglicano cap. 4. & Montaluus tomo 1. Chron. lib. 2. cap. 23.

Ordo seu Congregatio *Fuliensis*, quæ & *S. Bernardi de Pœnitentia* dicitur, in Gallia à *Ioanne Barrerio* Abbate Fuliensi, in diœcesi Riuensi, circa annum 1580. est instituta: de qua vide Chronicon nostrum Cistertiense.

Ordo monialium *De Conceptione B. Mariæ*, anno 1489. Toleti, sub instituto Cisterciensi sumpsit exordium, in quo annis aliquot perstitit; vt Montaluus ex archiuis illius loci, tomo 1. lib. 2. cap. 26. & Garibaius lib. 20. Hist. Hisp. cap. 13. commemorant. Ordinem prima instituit *B. Beatrix de Silua*, & Innocentius VIII. approbauit.

CA.

CAPVT XII.

De Ordinibus monasticis Cistertiensi familiæ obstrictis.

VArij sunt Ordines monastici, qui etsi Cistercienſibus non ſubſint, multis tamen nominibus illi ſacræ familiæ ſunt obſtricti.

Agmen ducat Ordo *Guilielmitarum* à *S. Guilielmo* Aquitaniæ Duce, ac S. Bernardi diſcipulo inſtitutus: de quo vide Origines noſtras Monaſticas, Coloniæ anno 1620. editas. Huius ordinis monaſteria pleraque, præſertim Italica, ſucceſſu temporis, Eremitis Auguſtinianis acceſſerunt: vt in Originibus ijſdem docui.

Ordo *Prædicatorū* initia ſua debet *S. Dominico*, qui fuit diſcipulus B. *Didaci* Epiſcopi Oxomenſis ſeu Vxamenſis, veſte monaſtica induti in archicœnobio Ciſtercienſi: vt tradit Theodoricus Apoldianus, & alij in vita S. Dominici.

Ordo S. *Mariæ de Mercede & Redemptione captiuorū* auctorem ac conditorem agnoſcit *Iacobum* Aragoniæ Regem, inſtituti Ciſtertienſis ſtudioſiſſimum.

Sunt qui huic catalogo adijciunt Ordinem *S. Trinitatis de Redemptione captiuorum*, quē volunt à S. Guilielmo Aquitaniæ Duce inſtitutum eſſe: quod non placet. Vide Origines noſtras Monaſticas.

Ordinis *Præmōſtratēſis*, à S *Nortberto* inſti-

tuti, maximus fautor fuit S. *Bernardus* eiusq; sodales: adeo quidem vt ipsum etiam Præmonstratensis archicœnobij fundum Præmonstratenses Cisterciensibus acceptum ferre debeant. Testatur id Bernardus ipse, Epistola 252. quæ Abbati Præmonstratensi inscribitur: *Cui vmquam vestrorum nostra opera opus fuit, & defuit? Primò quidem locus ipse* Præmonstrati, *in quo degitis, noster fuit, & nostro munere habuistis. Nam nobis frater* VVido *(hoc nomen primi incolæ loci) per manum Episcopi antè donauerat. Deinde quod hi de* Bello Loco *vobis se associauerunt, nostri potissimùm studij fuit. Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viueret, locum* S. Samuelis *donauit* nobis, *& mille aureos simul, de quibus ædificaretur. Vos dono nostro & locum habetis, & aureos habuistis. Apud Virdunum pro Ecclesia* S. Pauli, *vt eam vos haberetis, quantum laborauerint, multi norunt, quantum profecerint, ipsi sentitis. Si quo minus recognoscitis vos, exstant Epistolæ nostræ ad beatæ memoriæ Papam* Innocentium, *huius rei veri indices & quasi viui testes. Illis de* septem Fontibus *locum, quem primùm inhabitauerunt,* Francæ Vallis *nomen ei nos contulimus.*

Præmonstratum.

Bellus Locus.

S. Samuel.

Septem Fontes.

Franca Vallis.

Et infrà: *Nostro consilio & hortatu Magistrum* Othonem *habetis; si nescitis, ipsum interrogate. Possem & alios forsitan non paucos nominare, siue conuersos ad vos, siue reuersos, quos hodie non haberetis, nisi à nobis suasi fuissent, vel coacti.*

Tangerloa.

De Abbatia *Tungerloensi*, quæ est ord. Præmon-

monstratensis apud Brabantos pulcherrima, egi in Chronico nostro Præmonstratensi, & produxi diploma primæ donationis seu fundationis, ab eodem S. Bernardo signatum.

CAPVT XIII.

De monialibus ord. Conceptionis B. Mariæ.

ANno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto Conceptionistarum monialium ordinem in honorem Conceptionis B. Mariæ Virginis Toleti inchoauit *Beatrix à Silua*, nobilissima virgo Lusitana. Vtuntur autem eæ tunica & scapulari albis, ac chlamyde cęrulea. Innocentius porrò VIII. Pont. Max. rogante Isabella Hispaniæ Regina, Beatrici & sodalibus eius, an. 1489. concessit, vt veste & titulo Conceptionis Deiparæ vtentes, sub regula Cisterciēsis ordinis, & diœcesani Præsulis obedientia, in posterum Deo seruirent. Beatrice anno proximè sequenti defuncta, tādem sodales eius anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, S. *Claræ* regulam, sed sub Conceptionis veste & nomine, amplexæ sunt. Iulius demū II. Pontifex ipsas à Cisterciensium ordine eximens, Franciscanorum, vt vocant, obseruantium curæ anno 1511. commisit, & Franciscus Angelicus, Castellæ Vicarius Prouincialis, qui

pòst ordinis Seraphici Minister fuit, ipsis statuta, quæ hodieque seruant, anno millesimo quingentesimo decimo sexto præscripsit. Eodem Francisco Angelico agente, *Marina Cardena*, femina nobilissima, suis opibus in Vrbe, ad radices montis Capitolini, titulo S. Mariæ, *Libera nos à pœnis inferni*, monasterium huius instituti anno 1525. excitauit, & cum alijs decem mulieribus eiusdem ordinis vestem adsumpsit: vt Gonzaga 1. par. hist. Seraph. commemorat.

CAPVT XIV.

De Sanctis ex ordine Cisterciensi.

SAnctos voco, qui aut Martyrologij tabulis sunt adscripti, aut qui officio Ecclesiastico alicubi coluntur.

29. Apri. S. Robertus, Abbas & fundator ordinis Cisterciensis, obijt an. 1098. Sanctorũ catalogo adscriptus per Innocentiũ II. Papã. Cuius diploma primus (quod equidem sciam) publicauit Andreas Quercetanus in Bibliotheca Cluniacensi, Parisijs anno 1614. edita.

20. Aug. S. Bernardus Abbas primus Claræ Vallis, & alter quasi parens ord. Cisterciensis obijt anno 1153. in Diuos relatus per Alexandrum III. anno 1165.

26. Ian. S. Albericus, secundus Abbas Cisterciensis.

S. Ber-

S. Bernardus Alciranus, Carletæ Reguli Maurici filius, in prouincia Valentina, monachus in Populeto, Turiasonensis diœcesis cœnobio, ac martyr colitur officio Ecclesiastico in sui nominis basilica Alciræ 20. Augusti, vbi pars corporis eiusdem adseruatur. Multa de eius vita recitat Angelus Manricus, in suo Sanctorali Cisterciensi, Vallisoleti edito Hispanicè anno 1613. *20. Aug.*

S. Bernardus de Candeleda, monachus in Valle Ecclesiarum, in Extremadura Hispaniæ prouincia, quiescit in loco, qui *Candeleda* dicitur, ad quem magnus est piorum hominum concursus.

S. Bernardus Caluonius, primùm Abbas monasterij Sanctarum Crucium, pòst Episcopus Vicensis. *26. Oct.*

S. Bernardus Eremita, quiescit in cœnobio ordinis Cisterciensis in Alpibus, in monte S. Bernardi, ab ipso sic dicto: vt tradit Arnoldus VVionus lib. 3. Ligni vitæ 16. Maij. *16. Maij.*

S. Dominicus Martinez, Abbas X. Alcobatiæ in Lusitania, olim officio Ecclesiastico colebatur ab Anglis in diœcesi Eboracensi: vt tradit Bernardus Brito, Chronicorum tomo 1. lib 3. cap. 22.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, monachus in Pontiniaco. Vide Martyrol. Rom. *16. Nou.*

S. Elisabetha virgo Sconaugiæ, in diœ- *18. Iunij.*

cesi Vormatiensi, obijt anno 1165. Romano Martyrologio adscripta 18. Iunij.

S. Famianus, patria Coloniensis, an. 1154. ab Adriano IV. in Diuos relatus, quiescit iuxta Gallesium, prouinciæ Romanæ vrbem Episcopalem, in templo ipsi sacro.

S. Franca Abbatissa. Vide Origines nostras Monasticas lib. 2.

3. *Dec.* S. Gilganus eremita, frater laicus ord. Cisterciensis, obijt Senis in Tuscia, circa annũ 1181. ab Alexandro III. in Diuos relatus. Res eius gestas scripsit Gregorius Lombardelus, ordinis Prędicatorum.

10. *Febr.* S. Guilielmus primũ monachus Põtiniaci, pòst Abbas Caroli loci, ac demum Archiepiscopus Bituricensis, in Gallia, ab Honorio III. in Diuos relatus.

S. Gundisaluus, primùm monachus in Vrsaria, vulgò *Osera*, Gallęciæ monasterio, in diœcesi Compostellana, pòst Abbas in monasterio Iuniensi, vulgò *Iunias*, apud Lusitanos, in diœcesi Braccarensi, ibidem colitur officio Ecclesiastico.

15. *Oct.* S. Hedvvigis, Ducissa Poloniæ & Silesiæ, monialis cœnobij Trebnicìensis, in d. Vratislauiensi obijt anno 1243. à Clemente IV. Diuis an. 1267. annumerata. Vitam eius ab Ingelberto monacho scriptam recitat Surius.

17. *Sept.* S. Hildegardis, virgo apud Bingam in d. Mogun-

Moguntina, claruit circa annũ 1160. exſtatq́; eius vita à Theodorico cõſcripta apud Suriũ.

S. Hugo, Abbas Bonæ-vallis, colitur officio Eccleſiaſtico à Congregatione Hiſpanica regularis obſeruãtię 29. Aprilis: vt conſtat ex Miſſali & Breuiario dictæ Congregationis. Ad hunc exſtat 351. Epiſtola S. Bernardi. *29. April.*

S. Lutgardis, monialis in Aquiria, Brabantiæ cœnobio, anno 1246. moriens, ibidem quieſcit. *15. Iunij.*

S. Malachias, Epiſcopus Connerthenſis in Hibernia, pòſt monachus in Clara Valle, à S. Bernardo celebratus, obijt anno 1148. *3. Nou.*

S. Martinus, primus Abbas monaſterij Hortenſis, in diœceſi Seguntina, pòſt Epiſcopus Seguntinus, obijt an. 1210. & vocatur S. Sacerdos in Martyrologio Romano ad diem 5. Maij: vt à R. P. Chryſoſtomo Hériques, monacho Hortenſi, & antiquitatum Ciſtercienſium peritiſſimo accepi. Vitam eius rythmis Latinis ſcripſit Richardus Hortenſis monachus, Hiſpanicè autem Angelus Henriques, in ſuo Sanctorali Ciſtercienſi. Videatur Flos Sanctorum Hiſpaniæ de eodem. *5. Maij. M. R.*

S. Martinus, primus Abbas monaſterij Vallis Paradiſi, in diœceſi Zamorenſi, colitur officio Eccleſiaſtico à Congregatione Hiſpaniæ 7. Octobr. vt ex Miſſali typis edito patet. diploma Canonizationis dicitur exſtare Romæ in Vaticano. *7. Oct.*

8. Maij. M.R. S. Petrus primùm Abbas Stamedij, pòst Archiepiſcopus Tarētaſienſis in Sabaudia, an. 1171. viuere deſijt.

7. Iunij. S. Robertus Abbas Noui monaſterij in Anglia an. 1159. obijt. De eo Martyrologium Romanum 7. Iunij, Molanus & Surius tom. 3.

S. Sacerdos. Vide S. Martinus Hortenſis.

S. Siluanus diſcipulus S. Bernardi in Clara-Valle fuit. Diploma canonizationis eius per Cœleſtinum III. Papam datum exſtare dicitur.

17. Apr. M. R. S. Stephanus III. Abbas Ciſtercienſis obijt anno 1134. die 28. Martij tabulis Romani Martyrologi adſcriptus 17. April. quo die in Sanctos fuit relatus.

S Theobaldus, Abbas Vallis Cernaiæ, officio Eccleſiaſtico colitur ab ordine Ciſterciēſi: vt patet ex Breuiario eiuſdem ord. Pariſijs edito, an. 1619.

29. Dec. M. R. S. Thomas, Archiepiſcopus Cantuarienſis, veſtem monaſticam induit in Pontiniaco diœceſis Autiſſiodorēſis monaſterio, vt Vincentius Bellouacenſis Hiſt. lib. 29. cap. 15. Antoninus part. 2. tit. 17. c. 1. & Baronius ad an. 1164. diſertè teſtantur.

Sunt qui his annumerent *S. Mariam Ogniacenſem*; ſed exiſtimo eam potius inter ſanctas virgines inſtituti Auguſtiniani recenſendam eſſe, vtpote Ogniaci quieſcentem, quod eſt monaſterium Canonicorum regularium in Brabantia & d. Namurcenſi ad Sabim fl. ſitū. Vide infrà cap. 20.

CA-

CAPVT XV.

De Beatis ac Venerabilibus ex Ordine Cistercienſi.

V Abraham, Abbas monaſterij Prateenſis. De quo vide Robertum Ruſcā in Compendio virorum illuſtrium Ord. Ciſtercienſis.

B. Abundius, monachus Villarienſis in Brabantia, quieſcit ibidem. *19. Mar.*

V. Achardus diſcipulus S. Bernardi, & magiſter Nouitiorum in Clara-Valle. de quo Exord. Ciſter. lib. 3. cap. 21.

B. AEgidius, Abbas monaſterij S. Martini de Caſtaneda, in diœceſi Aſturicenſi. de quo Iepeſius in Chronicis Ord. S. Benedicti per Hiſpaniam. *12. Ian.*

B. Aelredus Abbas Rievallis in d. Eboracenſi, Dauidi Scotorum Regi familiariſſimus (cuius vitam ſcripſit, vt & S. Eduardi Angliæ Regis) an. 1166. pridie Idus Ianuarij obijt, Sanctorum numero aſcriptus, vt tradit Ioannes Baleus, quamquam ſcriptor Hæreticus, in Catalogo ſcriptorum Britanniæ. Vt S. Bernardo coętaneus, ſic eidem in ſtilo ſimillimus fuit: ſcripſitque plurima à Baleo & alijs commemorata. Ex quibus Homilias 31. in Iſaiam, & alia Richardus Gibbonus Societatis Ieſu Theologus Duaci *Molan. 5. Ian.*

ci

ci 1616. in 4. edidit. Exſtat eius vita m.s. in Rubra Valle.

B. Agnes, ſoror B. Iulianæ Cornelienſis, & exilij, perſecutionum, omniumque tribulationum eius ſocia, Namurci ſanctè moritur & inhumatur Salſiniæ, quod eſt monialium Ord. Ciſtercienſis cœnobium, haud procul à Namurco. De ea vide vitam B. Iulianæ.

B. Aimon, monachus in Sauigniaco, d. Abrincatenſis monaſterio: de quo Ruſca lib. cit. & Ioãnes Ciſtercienſis Abbas in catalogo SS. ord. eiuſdem.

B. Alanus Doctor famoſus, pòſt in Ciſtercio monachus: de quo idem Ioannes Abbas, Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Alb. Crantzius in Metrop. lib. 8. cap. 55.

11. Iunij. B. Aleida monialis: de qua Gaufredus Villarięſis in Epiſtola ad Idam monialē, quæ exſtat apud Bernardum Britonem in Chronicis ord. Ciſtercienſis, tom. 1. lib. 6. cap. 9.

B. Aldebertus Abbas monaſterij S. Ioannis.

11. Iunij. B. Aleidis Scrarenbecana, monialis in Camera B. Mariæ, extra Bruxellam, obijt an. 1250. tertio Idus Iunij. Eius vita exſtat manuſcripta in Rubra Valle, monaſterio Canonicorum regularium, extra Bruxellam.

4. April. B. Aletha, mater S. Bernardi: de qua vide ſcriptores vitæ S. Bernardi.

19. Martij. B. Alexander Colonienſis, diſcipulus S. Bernardi in Clara-Valle, & pòſt Abbas Ciſtercięſis.

ſis. De quo Exord. Ciſter. & Ioannes Baſilius Santorius lib. 5. cap. 4. in Hagiographia.

B. Alexander Princeps Scotiæ, frater laicus in Funiclauſtro. de quo Barnabas Mõtaluus in Chronicis tom. 1. lib. 2. cap. 35. & 39.

B. Algotus, ex monacho Ciſtercienſi Epiſcopus Curienſis apud Rhætos. De eo vide Arnoldum Carnotenſem in vita S. Bernardi cap. 8.

B. Alquirinus, monachus in Clara valle de quo Exord. Ciſter. lib. 4. cap. 1.

B. Amadeus, Dominus Albæ Ripæ, pòſt monachus Bonæ vallis in Gallia: de quo Ioannes Abbas in dicto Catalogo.

B. Amadeus, filius dicti Amadei, primùm monachus in Clara valle, pòſt Abbas in Altacumba, d. Geneuenſis monaſterio, demum Epiſcopus Lauſanenſis apud Heluetios, ſcripſit inter alia Homilias de Deipara, Duaci typis editas. Exſtat eius vita M.S. in Bona valle. de eodem Arnold. Carnotenſis in vita S. Bernardi.

B. Andreas Virdunenſis, diſcipulus S. Bernardi: de quo Exord. Ciſterc. libro 2. capite 21.

B. Arnoldus Maioricenſis, diſcipulus S. Bernardi: de quo Exord. Ciſter. lib. 3. cap. 17.

B. Arnulphus, primùm Abbas S. Nicaſij in d. Remẽſi, pòſt monachus in Signiaco: de quo Ioannes Abbas in dicto Catalogo.

B. Ar-

fuit prima Marquettæ Abbatissa apud Insulas Flandriæ emporium.

19. Feb. Molanus. B. Bonifacius Episcopus Lausanensis, patria Bruxellensis, obijt circa an. 1260. in Camera B. Mariæ, monialium cœnobio, apud Bruxellam, vbi corpus eius è terra leuatum in capsa lignea adseruatur, & vita legitur in tabula appensa, ex codicibus M.SS. Rubræ Vallis desumpta.

V. Bonifacius, Abbas XXII. Cisterciensis, cuius corpus in Cistercio religiosè adseruatur. de quo Rusca, & alij.

V. Bonifacius monachus Villariensis floruit magna vitæ morumque integritate.

V. Carolus VIII. Abbas Villariensis, frater Comitis Seinensis.

V. Candidus Furlongus, Hibernus, monachus cœnobij Nucalis in Castella veteri, obijt 1616. & quiescit VVexfordiæ in patria. Vitam Scripsere Franciscus Viuarius lib. de Mulieribus Illustribus, & P. Chrysostomus Henriques Hispanus.

4. Maij. B. Catharina monialis in Prato, Germaniæ cœnobio: de qua Cæsarius libro 2. cap. 26.

18. Martij. VVionus. B. Christianus Abbas Melli-Fōtis in d. Armacana, pòst Episcopus in Hibernia, floruit an. 1148. vt testatur Robertus Montensis in Supplemento ad Sigeberti chronicon. de eodem S. Bernardus in vita S. Malachiæ.

V. Christianus, monachus Hemmerodensis

ſis pater B. Henrici Conuerſi Villarienſis: de quo Cæſarius libro 4. capite 21. & libro 2. capite 16. *4. Feb.*

B. Chriſtianus Epiſcopus Culmenſis & Apoſtolus Ruſſiæ: de quo Martinus Cromerus in Hiſt. lib. 7. *4. Dec.*

B. Chriſtianus, monachus in Valle S. Petri: de quo Cæſarius lib. 4. cap. 30.

B. Chriſtina, cognomento Mirabilis, monialis in cœnobio S. Catharinæ apud Trudonopolim, d. Leodienſis opidum: cuius vitam ſcripſit Thom. Cantipratanus. Vide an fuerit ord. Benedictini. *30. Sep.*

B. Chriſtina, monialis in Monte S. VValburgis, d. Colonienſis: de qua Cæſarius lib. 7. cap. 21. & lib. 8. cap. 3. & 15.

B. Conradus, ex Canonico S. Lamberti Abbas IX. Villarienſis, Clare-Vallenſis & Ciſtercienſis, denium S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis, obijt Barij in Italia: de eo Cæſarius lib. 3. cap. 33. lib. 5. cap. 26.

B. Conradus monachus & presbyter ex Haſſia, ord. Ciſtercieñſis: de quo Vionus lib. 1. cap. 27. & Petrus Cratepolius lib. de Sanctis Germaniæ.

V. Conſtantinus, ex latrone famoſo frater laicus in Clara-Valle: quem S. Bernardus à patibulo liberauit: de quo Cæſarius li. 4. cap. 18. Exord. Ciſter. lib. 2. cap. 15. & Peralis lib. 1. cap. 27.

B. Daniel, Abbas vel Eremita Venetus *21. Iul.*

fuit prima Marquettæ Abbatissa apud Insulas Flandriæ emporium.

19. Feb. Molanus. B. Bonifacius Episcopus Lausanensis, patria Bruxellensis, obijt circa an. 1260. in Camera B. Mariæ, monialium cœnobio, apud Bruxellam, vbi corpus eius è terra leuatum in capsa lignea adseruatur, & vita legitur in tabula appensa, ex codicibus M.SS. Rubræ Vallis desumpta.

V. Bonifacius, Abbas XXII. Cisterciensis, cuius corpus in Cistercio religiosè adseruatur. de quo Rusca, & alij.

V. Bonifacius monachus Villariensis floruit magna vitæ morumque integritate.

V. Carolus VIII. Abbas Villariensis, frater Comitis Seinensis.

V. Candidus Furlongus, Hibernus, monachus cœnobij Nucalis in Castella veteri, obijt 1616. & quiescit VVexfordiæ in patria. Vitam Scripsere Franciscus Viuarius lib. de Mulieribus Illustribus, & P. Chrysostomus Henriques Hispanus.

4. Maij. B. Catharina monialis in Prato, Germaniæ cœnobio: de qua Cæsarius libro 2. cap. 26.

18. Martij. VVionus. B. Christianus Abbas Melli-Fōtis in d. Armacana, pòst Episcopus in Hibernia, floruit an. 1148. vt testatur Robertus Montensis in Supplemento ad Sigeberti chronicon. de eodem S. Bernardus in vita S. Malachiæ.

V. Christianus, monachus Hemmerodensis

ſis pater B. Henrici Conuerſi Villarienſis: de quo Cæſarius libro 4. capite 21. & libro 2. capite 16. 4. Feb.

B. Chriſtianus Epiſcopus Culmenſis & Apoſtolus Ruſſiæ: de quo Martinus Cromerus in Hiſt. lib. 7. 4. Dec.

B. Chriſtianus, monachus in Valle S. Petri: de quo Cæſarius lib. 4. cap. 30.

B. Chriſtina, cognomento Mirabilis, monialis in cœnobio S. Catharinæ apud Trudonopolim, d. Leodienſis opidum: cuius vitam ſcripſit Thom. Cantipratanus. Vide an fuerit ord. Benedictini. 30. Sep.

B. Chriſtina, monialis in Monte S. VValburgis, d. Colonienſis: de qua Cæſarius lib. 7. cap. 21. & lib. 8. cap. 3. & 15.

B. Conradus, ex Canonico S. Lamberti Abbas IX. Villarienſis, Clare-Vallenſis & Ciſtercienſis, demum S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis, obijt Barij in Italia: de eo Cæſarius lib. 3. cap. 33. lib. 5. cap. 26.

B. Conradus monachus & presbyter ex Haſſia, ord. Ciſterciẽſis: de quo Vionus lib. 1. cap. 27. & Petrus Cratepolius lib. de Sanctis Germaniæ.

V. Conſtantinus, ex latrone famoſo frater laicus in Clara-Valle: quem S. Bernardus à patibulo liberauit: de quo Cæſarius li. 4. cap. 18. Exord. Ciſter. lib. 2. cap. 15. & Peralis lib. 1. cap. 27.

B. Daniel, Abbas vel Eremita Venetus 21. Iul.

anno 1132. obijt:de quo Franciſcus Sanſouinus in deſcriptione Venetiarum.

B. Daniel,monachus Hemmenrodenſis in d. Treuirenſi : de quo Cæſarius libro 2. cap. 37.

B. Daniel monachus,quieſcit Hemmenrodæ,vt teſtatur Cratipolius lib. cit. vide Cæſarium lib.1.cap.4.& lib.2.cap.19.

24. Feb. B. Deſiderius,frater laicus in Clara Valle: de quo Brito tomo 1.lib.4.cap.20.

B. Didacus,Epiſcopus Vxamenſis , & magiſter S. Dominici,familiæ prædicat.cõditoris: de quo vide ſup.cap.12.& infrà cap.16.

B. Didacus Velaſcus , ſocius B. Raimundi, cum illo Ordinem Equeſtrem Calatrauæ inſtituit,& quieſcit Gumielæ in d. Vxamenſi.

B.Edmundus,primùm Canonicus regularis,dein monachus in Clara Valle. De eo Ioannes Eremita in vita S. Bernardi, capite 28.

B. Eliſabetha,ſocia B. Iulianæ Cornelienſis, obijt circa annũ 1256.& quieſcit in cœnobio Salſiniæ apud Namurcum.

B. Eliſabetha VVanſia,nobili genere nata, quieſcit Aquiriæ in Brabantia,vbi & monialis fuit. De ea Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum, cap.50.

V. Emanuel monachus in Friſia : de quo Ioannes Abbas , Guido Clarevallenſis , & Montaluus libris citatis.

B. Enarrandus, ex Magiſtro ord. Templariorum

riorum monachus in Claravalle. De quo Exord.Cist.lib.4.cap.32.

B.Ermengardis Comitissa Britanniæ,pòst monialis: ad quam exstant Epistolæ S. Bernardi 116.& 117.

B.Eschillus, Archiepiscopus Lundensis & Primas regni Daniæ, postea monachus in Claravalle: De quo Saxo Grammaticus lib. 14. Crantzius lib.3.Daniæ, cap.35. & Exord. Cisterc. lib.3. cap.26.

B.Espinela,siue Spinela, monialis Aroucana,in Portugallia: de qua Brito tom. 1. cap. 36.

B. Eustachius, Abbas monasterij Flaiensis in Anglia: de quo Matthæus Paris in Hist. Angliæ,ad an.1200.& 1253. *Vionus.*

V.Euphemia monialis: de qua Cæsarius lib.5. cap.44.

B.Fastradus,VII. Abbas Cisterciensis: de quo Exord.Cister. lib.2.cap.24. *20.Maij*

V.Ferdinandus,Ioannis Portugalliæ Regis filius, & Magister Ord.Equitum Auisiorum. Vide Origines nostras Equestres.

B. Florentius Abbas Caraceti.

B. Fulcuinus,primus Abbas monasterij Sichensis. De quo legitur in Speculo Exemplorum, dist.5.§. 19.

B.Garinus, Abbas in Alpibus,pòst Episcopus Sedunensis:ad quem exstat S.Bernardi Epistola 253. De eodem Arn. Carnotensis in vita S. Bernardi, cap.8.

V. Gaufridus, Secretarius seu Notarius S. Bernardi: de quo Exord. Cist. lib. sexto, cap. vltimo, & Vincentius in Spec. Hist. lib. 27. cap. 27. Sunt qui scribunt eum postea fuisse Abbatem IV. Clare-Vallensem: contrarium tamen colligi posse videtur ex cap. vltimo lib. 6. Exord. Cisterciensis.

B. Gaufridus, monachus Clare-Vallensis, pòst Episcopus Soranus: de quo Exord. Cist. lib. 3. cap. 22. & sequentibus, Montaluus tomo 1. lib. 2. cap. 21.

B. Genta Abbatissa: de qua legitur in Speculo Exemplorum dist. 5. §. 8.

13. *Iunij. Molanus.* B. Gerardus, seu Girardus, frater S. Bernardi, & Cellarius Clare-Vallensis: de quo Bernardus Ser. 26. in Cātica 9. Exord. Cister. lib. 3. cap. 12. & Basilius Santorius in Flore Sanctorum 13. Oct.

7. *Dec.* B. Gerardus VI. Abbas Clare-Vallensis, & martyr: de quo Cæsarius lib. 8. cap. 68. Petrus in Catalogo Sanctorum, lib. 3. cap. 200. Vincentius in Spec. Hist. lib. 21. cap. 31. Antoninus, & alij.

B. Gerardus Abbas primùm Floriacensis, postea monachus in Signiaco: de quo Ioānes Abbas, Montaluus, & Rusca libb. cit.

B. Gerardus Farsa, monachus Clare-Vallensis: de quo Exord. Cist. lib. 3. cap. 16. & Brito tom. 1. lib. 4. cap. 35.

9. *Oct.* B. Gerardus, ex monacho Clare-Vallensi Abbas Nouæ Vallis, in Sueuia; de quo Exord.

ord. Cist. lib. 4. cap. 29. & Brito lib. 6. cap. 5. tom. 1.

B. Gerbrandus primus Abbas Floricampi: de quo Molanus ad Vsuardum, & Cæsarius lib 11. cap. 30. *13. Octob.*

B. Gertrudis, filia S. Hedvvigis Ducissæ, monialis Trebnicensis, in d. Vratislauiensi, apud Silesios, floruit an. 1273. *15. Oct. Vionus.*

B. Geselinus, monachus Cisterciensis, cuius vitam scripsit Achardus Cisterciensis: de quo Vionus in Martyrologio. *6. Aug.*

B. Gilbertus, cognomento Magnus, Abbas VIII. Cisterciensis: de quo Ioannes Clare-Vallensis lib. de viris Illustribus. *1. Nouembr.*

B. Gisbertus, Prior monasterij Bebenhusensis, in d. Constantiensi: de quo Rusca, Ioannes Abbas & Montaluus.

B. Gobertus, ex Asperi Mõtis Comite monachus Villariensis, moritur 20. Aug. & quiescit ibidem. *20. Aug.*

B. Godefridus, ex Priore Clare-Vallensi Episcopus Lingonensis, anno 1139. floruit: vt testatur Robertus Montensis in Supplemento.

B. Godefridus, relictis Cluniacensibus, monachus Villariensis, *quantæ fuerit sanctitatis, quàm feruens in ordine, per sacras eius reliquias vsque hodie Dominus non cessat ostendere:* vt Cæsarius lib. 1. cap. 36. loquitur. Idem, nisi fallor, dictus est Pacomius, & fuit AEdituus Villariensis.

B. Godefridus Peronensis, discipulus sancti Bernardi, & Prior Clarevallensis: ad quem exstat epistola 109. eiusdem S. Bernardi.

B. Godescalcus, Abbas Montis S. Martini, commendatur à sancto Bernardo, Epistola 214. & Cæsario lib. 9. cap. 2. & alibi. Hic à multis annumeratur Cisterciensibus, sed an rectè dubito, eò quòd Mons S. Martini sit Abbatia Ord. Præmonstratensis, in Picardia, & d. Cameracensi.

B. Gonsaluus seu Gonzalus. Vide Gundisaluus.

31. Mar. B. Gosuinus, Abbas V. Cisterciēsis: de quo Ioannes Abbas & Rusca.

B. Guerricus Abbas Igniacensis, in d. Remēsi, & doctor, libris editis clarus; quem Ioannes Gagneius in prologo ad Sermones eius, Trithemius & alij laudant. De eodem agitur in Exord. Cist. lib. 3. cap. 8. & seq.

V. Guicardus, primùm Abbas Pontiniaci, pòst Archiepiscopus Lugdunensis in Gallia.

11. Maÿ. B. Guido, frater S. Bernardi, monachus in Cistercio: de quo Guilielmus in vita S. Bernardi cap. 10.

B. Guilielmus, Abbas monasterij Bellilaudæ, in Anglia, floruit an. 1173. vt testatur Matthæus Paris in Hist. Angliæ.

B. Guilielmus, ex Abbate S. Theodorici iuxta Remos, monachus Clarevallensis, scriptis clarus, laudatur à Trithemio, & in Exor. Cister. lib. 3. cap. 15.

B. Gui-

B. Guilielmus, Marchio montis Pessulani, postea monachus in Grandi Silua; quem Calzolarius scribit Sanctorum numero fuisse adscriptum.

B. Guilielmus, ex Abbate S. Albini monachus Clarevallensis: de quo Ioannes Eremita in vita S. Bernardi cap. 34. & Brito tom. 1. lib. 4. cap. 35.

V. Guilielmus, nobili Dongelbergiorum apud Bruxellenses genere natus, Abbas XI. Villariensis, vir castissimus, & prophetiæ spiritu illustris.

B. Gundisaluus, Aceueri Abbas in Gallæcia: cuius ibidem sepulchrum à fidelibus frequentissimè visitatur: teste Montaluo lib. 2. cap. 39.

B. Helinandus, monachus in Monte frigido in d. Bellouacensi, & Doctor, scriptis clarus, à Trithemio & alijs laudatur.

B. Henricus, ex Abbate VII. Clarevallensi Cardinalis, & Episcopus Albanensis, commendatur à Cæsario lib. 4. cap. 79. & Crantzio lib. 7. Saxoniæ, cap. 5. & in Exord. Cist. lib. 2. cap. 10.

B. Henricus Cōtractus, monachus Clareuallensis, fuit *spiritu pollens prophetico, & nullius expers spiritualis gratiæ:* vt Cæsarius lib. 1. cap. 16. & lib. 8. cap. 30. loquitur.

B. Henricus, frater laicus Hemmenrodensis, in d. Treuirensi: de quo Cæsarius lib. 5. c. 5. & alibi.

V. Hēricus frater Laicus Villarienſis, filius B. Chriſtiani Hemmenrodenſis, laudatur à Cæſario lib. 4. cap. 30. & ſequenti.

B. Heribertus eremita & monachus Molinenſis, quieſcit in ſilua Marlania, apud Namurcum, in ſui nominis eremitorio, haud procul à monaſterio eremitico Carmelitarum Diſcalceatorum, quod anno 1619. Albertus & Iſabella Sereniſſimi Belgarum Principes fundarunt.

B. Hermannus, frater Laicus Hemmenrodenſis: de quo Cæſarius lib. 7. cap. 52.

V. Hermannus, frater Cõuerſus, à patientia & ſapiētia cõmendatus, Aquiriæ in Brabātia.

4. Oct. B. Herueius, ex monacho Clareuallenſi Abbas Vrſicampi, in d. Nouiomenſi, laudatur à Gaufrido in vita S. Bernardi lib. 2. c. 4. & Vincentio in Spec. Hiſt. lib. 27. c. 4.

B. Herus quieſcit Armenteræ in Gallæcia, cuius meminit Edmūdus Crucius in Epiſtola Confraternitatis, anno 1601. ad Congregationem regularem Hiſpanicam data.

B. Hilarius, frater Laicus in Morerola diœceſis Zamorenſis monaſterio apud Hiſpanos: de quo Angelus Manricus in Sanctorali Ciſtercienſi.

20. Apr. Molan. B. Hildegundis, quæ in habitu virili dicta fuit Ioſeph, monialis in Sconaugia an. 1188. viuere deſijt: vt teſtatur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

V. Himmana, Abbatiſſa Salſinienſis, apud Na-

Namurcum, soror Conradi Archiepiscopi Coloniensis, vitæ morumque probitate floruit, & à fratre plurimas SS. vndecim millium virginum ac martyrum reliquias obtinuit.

B. Hugo, primus Abbas Pontiniaci pòst 21. Ian.
Episcopus Autissiodorensis, floruit an. 1139. & 1150. vt testatur Robertus Montēsis in Chronico.

B. Hugo, ex Abbate trium Fontium Cardinalis & Episcopus Portuensis; de quo Arnob. Carnotensis in vita S. Bernardi.

V. Hugo monachus in cœnobio Portæ cæli: de quo Rusca & Ioannes Abbas.

B. Hugo Abbas & fundator monasterij B. Mariæ in Nucaria apud Siculos: de quo Octauius Caietanus in libro de Sanctis Siciliæ.

B. Humbelina, soror S. Bernardi, ordinem 21. Aug.
monialium inchoauit.

B. Humbertus, primùm Cluniacensis, dein Clarevallensis monachus ac Prior, demum Abbas Igniacensis in d. Remensi: de cuius obitu exstat sermo S. Bernardi. De eodem agitur in Exord. Cist. lib. 3. cap. 5.

B. Humbertus, Comes Sabaudiæ, postea 17. Dec.
monachus in Altacumba, d. Geneuensis cœnobio.

B. Ida Leuuēsis monialis in Rameia, Brabantiæ cœnobio; cuius vita exstat M. S. in Rubra Valle.

13. Ap. B. Ida Louanienſis, monialis in Valle Roſarum apud Mechliniam anno 1300. viuere deſijt. Exſtat eius vita in Rubra Valle.

29. Oct. 11. Dec. B. Ida Niuellenſis, monialis in Rameia d. Namurcenſis cœnobio in Gallobrabantia: eius vita exſtat M.S. in Rubra Valle, & apud me in veteri codice.

B. Ioanna, Abbatiſſa iuxta Eboram in Luſitania, & martyr, quieſcit ibidem.

B. Ioannes, Abbas Bonæ Vallis, & Epiſcopus Valentinus in Gallia laudatur à Vincentio in Spec. Hiſt. lib. 36. cap. 42. Antonio & alijs.

B. Ioãnes Euſtachius, primus Abbas Iardineti in d. & comitatu Namurcenſi prophetiæ dono clarus. Exſtat ibidem vita eius m.s.

V. Ioannes, primus Abbas Grandipratenſis in d. Namurcenſi, antea ex nobili milite humilis in Villario monachus, laudatur ab AEgidio rerum Leodienſium ſcriptore.

B. Ioannes, de Monte mirabili, vir nobiliſſimus, pòſt monachus in Longo Ponte, circa an. 1200. claruit. Exſtat eius vita m. s. in Supplemento Suriano apud Belfortium.

B. Ioannes, monachus cœnobij Ciſtercienſis: cuius meminerũt Ioannes Abbas, & Montaluus ex antiquo Miſſali ordinis.

B. Ioannes, alius à priore, monachus item Ord. ciſtercienſis: de quo vide ſcriptores iam citatos.

B. Io-

B. Ioannes Zirita, fundator ordinis Equitum Auisiorum, in Lusitania, primus Abbas S. Christophori Foensis, & tertius S. Ioannis Toraucani, *clarus vita, clarus meritis, clarus miraculis, claret in cœlis*: vt in eius tumulo legitur. De eo fusè Brito tom. 1. lib. 2. & 5. 23. Dec.

B. Ioannes, monachus & Prior Claræ Vallis; de quo Exord. Cister. lib. 4. cap. 27. & sequenti.

B. Ioannes, frater laicus in Grandi Silua, putatur is fuisse, qui nihil sciuit præter hæc duo vocabula, *Aue Maria*: ex cuius ore iam sepulti tradunt lilium, ijsdem litteris aureis decoratum, prodijsse. Vide Montaluum li. 2. cap. 41.

B. Ioannes Panaqua, anachoreta & monachus cœnobij, quod vocant Sacra Mœnia, apud Hispanos, ibidem quiescit: vt tradit Manricus libro 3. Sanctoralis Cisterciensis.

V. Iolenta cognomento Pœnitens, relicto Monasteriensi ad Sabim fl. cœnobio, pœnitentiam egit in Aquina Brabantiæ cœnobio, & post mortem sanctæ Ludgardi beata apparuit: vt in illius vita, libro 2. legitur. 18. Iulij.

B. Isabella, Abbatissa Sconaugiensis: cuius vitam scripsit Rogerus Angelus.

B. Is-

B. Isnebardus, monachus Hemmenrodensis, in d. Treuirensi, à Cæsario lib. 11. cap. 3. & 11. laudatur.

5. Apr. B. Iuliana Corneliensis, augustissimę Corporis Christi festiuitatis auctrix, quiescit Villarij in Brabãtia. De qua vide Chron. nostrum Cisterciense.

B. Laurentius, frater laicus in Clara Valle: de quo Exord. Cist. lib. 4. cap. 34.

V. Lifardus, frater laicus Hemmenrodensis: de quo Cæsarius lib. 4. & 10.

B. Macarius, monachus in Valle Bona, d. Vallisoletanæ monasterio: cuius ibidem tumulus est in veneratione: vt tradit Manricus lib. 3. Sanctoral. Cist.

B. Mafalda, Sanctij Portugallię Regis filia, in cœnobio Aroucano monialis: de qua Rodericus Toletanus in Hist. Hisp. libro 9. capite 2.

B. Mamertus, Abbas Gumielæ in d. Vxamensi, fuit frater S. Dominici, qui ordinem Prædicatorum instituit.

B. Margarita, monialis in cœnobio Siluæ Benedictæ: de qua Ioannes Abbas, Rusca & Montaluus.

B. Margarita Louaniensis à Cæsario lib. 6. cap. 35. laudatur.

B. Margarita, monialis in Monte S. VValburgis, d. Coloniensis cœnobio.

B. Maria Martines, aliàs cognomento Peregrina, nisi fallor, monialis in Lorbano Portugal-

tugalliæ cœnobio : de qua Brito tom. 1. lib. 6. cap. 34.

B. Maria Vela, monialis in Abulensi S. Annæ monasterio, à Sanctio Velada Episcopo Abulensi fundato, ibidem anno 1617. obijt. Eius vitam scripsit Michael Gonzales Vaquerus, Doctor Theologus, Hispanicè edita Madriti anno 1618. *24. Sep.*

BB. Martyres, circiter bis mille, partim Equites, partim monachi, Calatrauæ passi, quiescunt in veteri Calatraua: de quibus vide Andradam in historia Ordinis Calatrauæ.

BB. Martyres monachi ord. Cisterciensis anno 1421. ab Hussitis occisi, in monasterijs Sedelitzensi & Osseckensi, apud castrum Rosenbergense in Bohemia: de quibus Carolus Langius in Chronico Citizensi.

BB. Martyres, anno 1429. aut 1430. occisi ab ijsdem Hussitis, in Cella noua, & Grunhemio, monasterijs instituti Cisterciensis, in d. Vratislauiensi apud Silesios: de quibus Langius & Ioannes Cochlæus lib. 6. Histor. Hussitarum.

BB. Martyres ac monachi Copriunicenses, Sendomiriæ à Tartaris occisi.

BB. Martyres 40. Hiberni, cum suo Abbate, plexi capite. *2. Iunij.*

B. Mauritius, Abbas monasterij S. Martini: de cuius canonizatione facienda exstat *14. Aug.*

Tex-

Textus in Cap. Venerabili fratri, 52. de testibus & attestationibus.

B. Mechtildis, cuius meminit Edmundus Crucius, Abbas Cisterciensis, in charta confraternitatis, anno 1601. Cistercio in Hispaniam missa ad Congregationẽ regularis obseruantiæ.

B. Mainerus, discipulus S. Bernardi, Prior Hemmenrodensis, *per multos labores ad sublime sanctitatis & gloriæ culmen peruenit:* vt Cæsarius lib. 11. cap. 2. loquitur.

B. Monachus in Riuo sicco, Hispanię monasterio, secundo lapide à Medina Pomariensi: de quo Cæsarius lib. 7. cap. 21.

7. Febr. B. Niuardus, frater S. Bernardi, fundator monasterij Spinę, in d. Vallisoletana: quod ita nuncupatur à Spina Coronę Dominicæ ibidẽ religiosè adseruata. Ad hunc exstat Epistola 301.

B. OGLERVS, Abbas Locedij in d. Casalensi, & ducatu Montis Ferrati, apud Insubres siti: de quo Rusca & Ioannes Abbas.

B. Oildis, cuius mentio fit in dicta charta Confraternitatis anno 1601. missa in Hispaniam per Edmundum Crucium.

B. Otho Episcopus Frisingensis: de quo vide capite sequenti.

B. Otho, Supprior in Clara-Valle, temporibus S. Bernardi: de quo Exord. Cist. lib 3. cap. 6.

B. Ozilia, socia B. Iulianæ Corneliensis, obijt

obijt Salsiniæ extra Namurcum: de qua vide B. Iulianæ vitam.

B. Petrus Monoculus, ex monacho Igniacensi Abbas Clareuallensis: de quo Cæsarius lib. 6. & 7. & Petrus in Catalogo Sanctorum.

B. Petrus à Castronouo, primus hæreticæ prauitatis inquisitor, & martyr: de quo vide cap. seq.

B. Petrus, monachus in Caduino cœnobio: de quo Ioannes Abbas, Silua, & Montaluus.

B. Petrus, primus Abbas Morerolæ in d. Zamorensi: de quo Silua lib. 7. cap. 5.

B. Petrus, eiusdem loci sacrista, Deiparæ addictissimus.

B. Petrus Alfonsus, frater Alfonsi Henriques Regis Portugalliæ, monachus Alcobatiæ: de quo Bernardus Brito in Monarchia Lusitanica, & tom. 1. Chron. lib. 5. c. 16. & seq.

B. Petrus Marginetus, monachus in Populeto, d. Turiasonensis cœnobio, cuius vita ibidem m. s. exstat. Ex qua hausit sua Ioannes Vincentius lib. 2. de Sanctis Cataloniæ & Ioánes Aluarus lib. de monasterijs Cisterciensibus in Aragonia.

B. Petrus Tolosanus, monachus Clare-Vallensis, & Doctor: de quo Exord. Cisterc.

B. Petrus, monachus Hemmenrodensis, pòst Apostolus Liuoniæ: de quo Exord. Cist. lib. 3. cap. 4. & 13.

B. Pontius, ex Abbate V. Clare-Vallensi E-

ſi Epiſcopus Claremontanus: de quo Exord. Ciſt. lib. 2. cap. 6.

B. Raimundus, Abbas Fiterij in Nauarræ finibus, fuit inſtitutor Ordinis militaris Calatrauæ. De quo vide Rodericum Toletanũ lib. 7. cap. 14. Marietam de Sanctis Hiſpaniæ, & alios. Illius corpus ex loco *Ciruelos* tranſlatum eſt ad cœnobium Montis Sion, iuxta Toletum, vbi quieſcit in ſacello & tumulo ſumptuoſo vnà cum dicto Roderico, niſi fallor.

B. Rainaldus, Abbas IV. Ciſtercienſis: de quo Exord. Ciſt. lib. 1. cap. 28. & Vincentius in Spec. Hiſt. lib. 27. cap. 127.

B. Rainaldus, Abbas Peſiniaci: ad quem exſtant Epiſtolæ S. Bernardi 72. & ſequentes.

B. Rainaldus, relictis Cluniacenſibus monachus in Clara-valle: de quo Exord. Ciſter. lib. 3. cap. 12. & Brito lib. 4. cap. 15.

B. Richardus, monachus Aduuertenſis in Friſia, & d. Groningenſi, miraculis & peregrinationibus clarus: de quo Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij ſub finem.

B. Robertus primus Abbas Dunenſis in Flandria: de quo Exord. Ciſterc. lib. 2. cap. 21. & nos in Chronico Ciſtercienſi. Ad hunc exſtant Epiſtolæ Sancti Bernardi 336. & 337.

7. Iul. V. Robertus, frater Laicus Clarevallenſis: de quo Brito tom. 1. lib. 4. cap. 20.

B. Ro-

B. Rolandus, monachus monasterij Keseriacensis: de quo Ioannes Abbas in Catalogo.

B. Ruandus, ex monacho Cisterciési Episcopus Venetensis, in Britannia minore, floruit an. 1177. vt testatur Robertus Montensis in Supplemento ad Sigeberti chronicon & VVionus lib. 1. cap. 46.

B. Rudgerus, seu Rogerus Abbas Ellaucensis: de quo Ioannes Abbas, Rusca, & Montaluus.

B. Sanctia, Sanctij Portugalliæ Regis filia, monialis & fundatrix cœnobij Cellarum: de qua Brito lib. 6. cap. 33.

B. Simon, Alnensis monasterij frater laicus, in d. Leodiensi, an 1296. viuere desijt. Vitam eius ex illius loci monumentis edidit Franciscus Moschus, Atrebati an. 1600. *6. Nou.*

B. Simon, Abbas Caziensis, pòst monachus Clare-Vallensis: de quo Bernardus Epistola 293. & Ioannes Eremita in Vita S. Bernardi cap. 40. Vide Exord. Cisterc. lib. 2. c. 29.

B. Simon Lipniciensis; quem multis claruisse miraculis Martinus Cromerus li. 29. de rebus Poloniæ testatur.

B. Sophia, Priorissa Montis S. VValburgis, pòst Abbatissa Ouenensis, *cui aliquando tenuis cereuisia in vinum est conuersa, quam etiam Angelus Domini, cùm de Matutinis exiret, cum lucerna antecedebat:* vt lib. 10. cap. 16. Cæsarius loquitur. De eadem fortè Bernardus Epist. 113.

B.Spinela, vide Espinela.

B. Stephanus, ex monacho Cisterciensi Cardinalis & Episcopus Prænestinus: de quo Bernardus Bonæ vallis Abbas cap. 8. vitæ S. Bernardi. Ad eundem exstat S. Bernardi Epistola 219. & 223.

B.Stephanus, primus Abbas Obosmensis: de quo Ioannes Abbas, Rusca, & Montaluus.

B.Stephanus, Prior eiusdem monasterij: de quo auctores supradicti.

17. Sept. B.Stephanus, Conuersus in Clara-Valle: de quo Brito tom. 1. lib. 4. cap. 20.

B.Teresia, Alfonsi Regis Legionensis vidua, & monialis in monasterio Lorbanensi: de qua Duardus Galbanus in vita Regis Sanctij, & Brito lib. 6. cap. 21. & seq.

B. Teresia, Regina Aragoniæ, fundatrix & monialis cœnobij nostræ Dominæ de Gratia, in vrbe Valentia: vbi hodieque corpus eius incorruptum adseruari tradunt. vide Garibaium lib. 32. cap. 6. Martinum Vicianam in Chronico Valentiæ, & Ioannem Aluarum de Origine monast. Ord. Cist. in Aragonia.

B.Thomas, Prior Boni fontis de Taresca: de quo Ioannes Abbas, & Rusca.

B.Thomas, monachus Dunensis & martyr: de quo vide Trophæa Ecclesiæ Anglicanæ in æs incisa, & Montaluum tom. 1. lib. 2. cap. 37.

B.Tor-

B. Torphimus, Episcopus Hamariæ in Noruegia, exul aliquamdiu vixit, & obijt in monasterio Thosano, ord. Cist. apud Brugas, Flandriæ olim emporium. Vide Acolanum in Natalibus SS. Belgij.

B. Vidalis, seu Vitalis in monasterio S. Sulpitij: de quo Cæsarius lib. 7.

B. Vitalis, Abbas primus Sauigniaci, nisi fallor, in d. Abrincantẽsi, an. 1178. floruit: cuius vitam scripsit Stephanus Episcopus Redonensis. Vide Robertum Montensem in Chronico ad dictum annum.

B. Vlricus, natione Coloniensis, monachus Villariensis, *dum Missam celebraret, super caput eius globus igneus apparuit*. Cæsarius libro 6. cap. 31.

B. VVallenus Abbas Meurossensis, in Anglia, obijt anno 1160. tertio nonas Augusti. *2. Aug.* Vita eius exstat m. s. in Rubra Valle, tom. 3. Antonij Gentij.

B. VValterus siue Gualterus Birbacensis, monachus Hemmenrodensis, miraculis post mortem clarus: vt Cæsarius lib. 4. c. 54 & lib. 7. cap. 39. testatur.

V. VValterus Traiectensis, Abbas X. Villariensis, prophetiæ spiritu clarus, & orationi deditissimus.

B. VVerricus Prior Alnæ in d. Leodiensi, cũ socio Nouitio anonymo, ibidem quiescit.

De his plura qui volet, *Ioannem Dasigni-*

um ex monacho Camberonensi nunc Abbatem Nisellensem consulat in Vitis Sanctorũ ac Beatorum Ord. Cisterciensis, quas Gallico sermone conscripsit, & Montibus Hannoniæ an. 1603. typis edendas curauit. Consulat item *Exordium Cisterciense*, seu librum manuscriptum *de Origine & viris illustribus Ord. Cisterciensis*, qui varijs in Bibliothecis exstat. Illius auctor fuit (quantum ex vltimo capite libri 6. colligere potui) primùm monachus in Clara-Valle, pòst alicubi Abbas, & floruit circa an. 1180. aut circiter, paulò post tempora S. Bernardi. Dicit enim citato loco *vidisse, ac cognouisse se in Clara-valle non paucos seniores ex discipulis S. Bernardi, morum grauitate, religionis integritate, & prudentia, & simplicitate reuerendos, in his beatæ memoriæ* D. Gerardum *Priorem*, D. Gaufridum *eiusdem Sancti viri Notarium: plurimumq; ab eo dilectum* D. Hugonem de Monte felice, D. Petrum Catalaunensem, & *alios tam monachos quàm conuersos.*

Miror sanè librum hunc à nemine hactenus luce publica donatum fuisse: quod vt ex Ord. Cisterciensi quispiam præstet, eiusdem honori ac gloriæ augendæ, hortor & rogo. Ego manuscripto exemplari pergamenico, in libros seu distinctiones sex diuiso, vsus sum, quod exstat in Abbatia S. Bernardi apud Antuerpiam ad Scaldim.

CA-

CAPVT XVI.

De B. Petro à Castro nouo, martyre primoque Inquisitore hæreticæ prauitatis, & de B. Othone Episcopo Frisingensi.

B. Petrus de Castro nouo, monachus ordinis Cisterciensis, in cœnobio Fontis frigidi, in Francia, & d. Bellouacensi, fuit primus hæreticæ prauitatis Inquisitor, ab Innocentio III. Papa constitutus. Testatur id Ludouicus Paramus lib. 2. De Origine Inquisitionis c. 1. *Sanctissimæ* (ait) *Inquisitionis officium eo tempore sumpsit exordium, quo impijs erroribus & blasphemijs execrabilibus Albigensium Comitatus Tolesanus infectus & penè exstinctus erat. Tunc enim gloriosus Deus in Innocentio III. summo Pontifice eam mentem iniecit, vt Petrum de Castro nouo monachum, virtutis & sanctitatis gloria florentem, crearet Legatum, & ad illam prouinciam ad Christum Saluatorem nostrum reducendum mitteret.*

Fuit autem dictus Petrus de Castro nouo à Summo Pontifice constitutus Inquisitor, antequam Ordo Prædicatorum per S. Dominicum esset fundatus: vtpote qui ante

ante duodecim iſtos Abbates Ordinis Ciſterciensſis (de quibus paullò pòſt agam) Legatione Apoſtolica contra Albigenſes functus fuerit: vt tradunt Vincentius Bellouacenſis in Speculo hiſtoriali lib. 29. cap. 93. Theodoricus Apoldianus in vita S. Dominici apud Surium, Antoninus in Summa part. 3. tit. 19. cap. 1. & alij.

Fuit verò non ſolùm primus Inquiſitor, ſed & primus eo nomine martyr, vtpote qui ſacræ Inquiſitionis officium primus ſuo ſanguine conſecrauit iuſſu Raimundi Comitis Toloſani (qui Albigenſium fautor erat) crudeliter cæſus. Id diſertè Vincentius Bellouacenſis loco citato his verbis teſtatur: *Petrus de Caſtro nouo, Domini Papæ Legatus à Comite Tolaſano, quem propter hæreticorum defenſionem excõmunicauerat, occiditur.* Idem tradũt Antoninus loco citato, Martinus Polonus in Chronico, Ludouicus Paramus, & alij.

Ceterùm non vno loco Innocentius III. affirmat dictum Petrum fuiſſe monachum Fontis Frigidi, adeoq́ue ordinis Ciſtercienſis: puta, Cap. *Per inquiſitionem de Electione & Electi poteſtate:* Cap. *Per litteras de ſupplẽda negligentia Prælatorum:* Cap. *Cùm dilecti, de Accuſationibus.*

Eſt autem monaſterium Fontis Frigidi in Francia, & d. Bellouacenſi ſitum, & anno 1140. per Valeranum Vrſicampi Abbatem, ac S. Bernardi diſcipulum, primitus fundatum:

tum: vt tradit Robertus Abbas Montis S. Michaelis in Supplemento ad Sigeberti Chronicon.

Ex quo quidẽ loco annis tredecim postea, hoc est, anno Christi 1153. monachi Ord. Cisterciensis prodierunt, qui *Populetum* in Catalonia cœnobium longè celeberrimum condiderunt, Raimundo Berengario Barcinonensi Comite dotem suppeditante: vt ex illius monasterij archiuis tradunt Martinus Viciana in Chronicis Valentiæ libro 3. & Ioannes Aluarus lib. de Monasterijs ord. Cisterciensis in Aragonia. Ceterùm ex eodem, vt arbitror, monasterio Fõtis Frigidi prodijt Iacobus Fornerius, pòst Benedictus XII. Papa.

Porrò ex hac vita sublato B. Petro de Castro nouo, *Summus Pontifex duodecim misit Abbates, ex D. Bernardi familia, eximia virtute & præclara doctrina ornatissimos, vt in hæreticorum pagos excurrerent*: vt cit. lib. Ludouicus Paramus loquitur. His duodecim Abbatibus postea socios sese adiunxerunt *B. Didacus* Oxomensis Episcopus, & *S. Dominicus* Canonicus tunc Oxomensis, pòst Ord. Prædicatorum parens ac conditor.

Fuit autem totius huius, aduersus Albigenses, sacræ expeditionis ac legationis caput, Abbas Cisterciensis, cognomento *Arnoldus*, vt tradit idem Paramus. Adeò quidem, vt ipse etiam sanctus *Dominicus* à

dicto Abbate suam acceperit tunc temporis commissionem. Constat id ex Formula Absolutionis per ipsum dari solita, quam Paramus lib. cit. cap. 2. recitat: *Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, frater Dominicus, Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus, salutem in Christo. Auctoritate Domini Abbatis Cisterciensis, Apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliauimus præsentium laborem, &c. Hæc omnia diligenter obseruet, donec alias super his Dominus Legatus suam nobis exprimat voluntatem, &c.*

Hæc visum fuit paullò latiùs deducere, vt contra vulgi opinionem ostenderemus, nō Dominicanis, sed Cisterciēsibus primùm institutæ aduersus hæreses Inquisitionis officium deberi acceptum.

Quod attinet ad B. Didacum Oxomensem Episcopum, fuit & is postea Cisterciense institutum amplexus: vt præter alios Theodoricus Apoldianus testatur: *Reuertens Cisterciense cœnobium inuisit: vbi multorum seruorum Dei sancta conuersatione & religionis sublimitate illectus, habitum monasticum accepit, atque inde monachos aliquot secum adduxit, è quibus disceret mores illius instituti, & ordinis disciplinam.* Plura de his qui volet, Angelum Manricum consulat in Laurea Euangelica Salmanticæ an. 1610. Hispanicè edita.

De

De B. Othone Frisingensi Episcopo, antea monacho Morimundensi, Ord. Cistercien-sis.

OTho filius S. Leopoldi, Marchionis Austriæ, vir doctus & pius, factus est primus Præpositus Neoburgi in Austria, quod monasterium S. *Leopoldus* pater eius fundarat. Inde studiorũ causa Parisios profectus, ingressus est Morimundense cœnobium, cum 16. Sodalibus; vbi facta professione, euocatus est Frisingam ad Episcopatum anno 1138. Ita vetus Austriæ chronicon habet. Ioannes Cuspinianus in Austria, in vita S. Leopoldi, dicit Ottonem se ad Concilium seu Capitulum Cisterciense, quod Morimundi agebatur, contulisse, ibi morbo & senecta oppressum sanctissimè ac religiosissimè obijsse, ibique sepultum anno 1158. Paulò post discessum Ottonis, Frisinga cum sede Cathedrali, omnibus templis & ornamentis, incendio grauissimo perijt. Hic Otto non tam instaurator quàm fundator Ecclesiæ Frisingensis exstitit. Bona enim distracta recuperauit, collapsa palatia & ædificia restituit, disciplinam monasticam in vsum reuocauit. Hic ipse Otto, ope fratris sui Henrici Ducis Bauariæ, monasterium *Scheftlarn*, per Hungaros vastatum, instaurauit, & in locum Benedictinorum

Præmonſtratẽſes ſubſtituit an. Domini 1140. Pariter de nouo inſtituit monaſterium *Nouæ Cellæ*, prope Friſingam, pro eodem ordine Præmonſtratenſi, nec non *Schlierſenſe* Collegium Canonicorum. Eiuſdem Othonis conſilio ſopita eſt grauis illa contentio ſuper Ducatu Bauariæ, inter fratrem Ottonis, Henricũ Marchionem Auſtriæ, & Henricum Leonem, Saxoniæ Ducem per Fridericum I. Romanorum Imperatorem in comitijs Ratiſponenſibus. Auſtria Ducatus titulo donata eſt, cum acceſſione prouinciæ ſupra Anaſſum; Bauaria verò Leoni eſt adiudicata: exſtatque diploma à Frederico Imp. anno 1156. Ratiſbonæ ſignatum, apud Hundium in Metropoli Salisburgenſi; ex quo iſta deſumpſimus.

* * *
* *

CA-

CAPVT XVII.

Calendarium Sanctorum ac Beatorum, maxime illustrium, ex ord. Cistercienſi, menſium ac dierum ſerie digeſtum.

IANVARIVS.

V. Theobaldus XXVI. Abbas Ciſterciensis. 2.
B. Didacus Epiſcopus Vxamenſis. 6.
B. Torphimus Epiſcopus Noruegiæ. 8.
S. Guilielmus Archiepiſcopus Bituricenſis. 10.
B. Aelredus Abbas Rieuallis in Anglia obijt. 12.
S. Bernardus, Abbas Claræ-Vallis per Alexandrum III. canonizatur an. 1165. 18.
B. Hugo Epiſcopus Autiſſiodorenſis. 21.
S. Arbericus II. Abbas Ciſtercienſis. 26.
V. Carolus VIII. Abbas Villarienſis. 28.

FEBRVARIVS.

B. Chriſtianus monachus Hemmenrodenſis. 4.
B. Niuardus frater S. Bernardi. 7.

S. Gui-

10. S.Guilielmus,Dux Aquitaniæ,per S. Bernardum conuersus.

11. B.Humbertus I.Abbas Igniacensis.

13. B.Stephanus Card.& Episcopus Prænestinus.

19. B.Bonifacius Episcopus Lausanensis.

24. B.Desiderius,Laicus in Clara-Valle.

28. Passio multorum martyrum, Calatrauæ à Saracenis occisorum.

MARTIVS.

1. B.Dauid monachus Hemmenrodensis.

6. V.Pontius Episcopus Claromontanus.

11. B. Mamertus,frater S. Dominici & Abbas Gumielæ.

13. B.Sanctia Regina.

14. B.Petrus à Castro Nouo, primus hæreticæ prauitatis inquisitor,& martyr.

18. B.Christianus Abbas Melli fontis.

19. B.Aletha,mater S.Bernardi,transfertur ad Claram Vallem.

B.Abundus Villariensis.

21. S.Robertus,Abbas & fundator Ord. Cisterciensis,an.1108.Molismi in Domino obdormit hoc die,qui sacer est S.Benedicto.

26. B.Petrus Marginetus,monachus & eremita in Populeto.

28. S.Stephanus III. Abbas Cisterciensis an. 1134.obijt.

31. B.Gosuinus Abbas V. Cisterciensis.

APRI-

APRILIS.

B.Aletha, mater S.Bernardi. 4.
B.Iuliana Corneliensis. 5.
V.Andreas, frater S.Bernardi, monachus Clareuallensis.
B.Guilielmus Marchio. 9.
B.Eschillus Archiepiscopus in Dania. 10.
B.Ida Louaniensis. 13.
S.Stephanus, Abbas III. Cisterciensis Sanctorum numero adscribitur. 17.
B.Hildegundis, virgo, sub veste monachi, Sconaugiæ. 20.
B.Gerardus monachus. 23.
S.Franca Abbatissa. 25.
S.Robertus, primus Abbas & fundator Ord. cisterciensis, hoc die celebratur iuxta Martyrologium Romanum. 29.
S.Hugo Abbas Bonæ Vallis.

MAIVS.

B.Mafalda Regina.
B.Alexander Princeps Scotiæ. 1.
B.Catharina virgo. 3.
S.Martinus Episcopus Seguntinus, in tabulis Martyrologij Romani vocatur S.Sacerdos. 4. 5.
S. Petrus Archiepiscopus Tarentasiensis. 8.

B. Gui-

11. B. Guido, frater S. Bernardi, moritur Pontiniaci.
14. B. Petrus, Monoculus, Abbas Claræ Vallis.
15. D. Robertus VI. Abbas Claræ Vallis.
16. S. Bernardus eremita.
20. B. Guido, Card. & Episcopus Albanensis obijt.
B. Fastradus Abbas VII. Cisterciensis.
26. V. Benedictus XII. Papa moritur Auenione an. 1342.

IVNIVS.

2. Copriunicenses monachi Sendomiriæ in Polonia martyrio à Tartaris coronantur.
6. B. Gundisaluus Abbas Aceueri.
7. S. Robertus Abbas Noui monasterij in Anglia.
11. B. Aleidis Scarenbecana.
B. Aleida monialis.
13. B. Gerardus, frater S. Bernardi, Cellarius in Clara Valle.
16. S. Lutgardis, monialis in Aquiria.
17. B. Ferdinandus Magister ordinis Auisij.
B. Teresia Regina.
18. S. Elisabetha Sconaugiensis.
24. B. Ioannes Episcopus Valentinus.
30. B. Arnulfus Cornilautius.

IV-

IVLIVS.

S. Theobaldus Abbas Vallis Cernaiæ. 1.
B. Robertus, Conuersus in Clara Valle. 7.
Eodem die eleuatio corporis S. Thomę Cantuariensis.
B. Henricus Card. & Episcopus Albanensis. 14.
B. Teresia, Regina Aragoniæ, & monialis in Zaydia Valentiæ obijt.
B. Daniel Abbas apud Venetos. 21.
Inuentio corporis S. Bernardi Alcirani martyris, apud Valentiam. 23.
B. Christina Mirabilis. 24.
V. Guicardus Archiepiscopus Lugdunensis. 28.
V. Guido XVI. Abbas Cisterciensis, pòst Archiepiscopus Remensis, obijt. 30.
V. Arnaldus XVIII. Abbas Cisterciensis obijt. 31.

AVGVSTVS.

B. Petrus primus Abbas instituti Cisterciensis in Morerola. 1.
B. VVallenus Abbas. 2.
B. Beatrix Priorissa in Nazareth. 3.
B. Dominicus Abbas Alcobatiæ. 4.
B. Geselinus monachus Cisterciensis. 6.
Festum Coronæ Spineæ, per S. Hugonem Abbatem Bonæ Vallis, in ord. Cisterciensi institutum est. 11.

Qua-

14. Quadraginta monachi, cum ſuo Abbate, in Hibernia capite plectuntur.
16. Eleuatio corporis S. Hedvvigis.
20. S. Bernardus, Abbas Claræ-Vallis.
S. Bernardus, alius à priore, monachus inſtituti Ciſtercienſis, in Candeleda Extremaduræ opido, apud Hiſpanos, magno populorum concurſu honoratur.
B. Gobertus Comes, pòſt monachus Villarienſis.
22. B. Humbelina, ſoror S. Bernardi.
23. S. Bernardus Alciranus martyr.
30. B. Herus ſiue Erus Abbas Armenteræ.

SEPTEMBER.

3. B. Euphemia monialis in Ouenes.
9. S. Siluanus, monachus Clare-Vallenſis per Cœleſtinum Papam canonizatur.
12. V. Valeranus primus Abbas Vrſicampi.
15. B. Achardus, magiſter Nouitiorum in Clara-Valle.
16. S. Martinus, ex Abbate Hortenſi Epiſcopus Seguntinus, à quibuſdam hoc die colitur.
17. S. Hildegardis, monialis in Germania.
B. Stephanus, Conuerſus in Clara-Valle.
19. B. Sophia Abbatiſſa in Ouenes.
20. B. Amadeus Epiſcopus Lauſanenſis.
24. V. Arnoldus Archiepiſcopus Narbonenſis, antea Ciſtercienſis Abbas XVII. obijt.
B. Maria Vela, monialis in Hiſpania.

Ve-

Venerabilis Conradus, Abbas, pòst Card. & Episcopus Portuensis. 30.

OCTOBER.

B. Vlricus monachus Villariensis. 1.

B. Herueius Abbas Vrsicampi. 4.

V. Balduinus, Card. & Archiepiscopus Pisanus. 6.

S. Martinus Abbas Vallis Paradisi. 7.

B. Beatrix de Silua, monialium Conceptionis B. Mariæ apud Hispanos institutrix, obijt. 8.

B. Gerardus Abbas in Sueuia. 9.

B. Gerbrandus, primus Abbas Floricampi. Eodem die Dedicatio Clareuallensis Ecclesiæ. 13.

S. Heduuigis Ducissa. 15.

B. Gertrudis, filia S. Heduuigis.

V. Balduinus, Episcopus Vigorniensis in Anglia. 16.

Dedicatio Ecclesiæ Cisterciensis. 17.

B. Bertoldus, Apostolus Liuoniæ. 21.

V. Ruandus Episcopus Venetensis. 22.

S. Bernardus Episcopus Vicensis. 26.

B. Ida Niuellensis. 29.

B. Ioannes, cognomento Panaqua, Conuersus & eremita in cœnobio Sacrorũ Mœnium.

B. Gerardus de Farfa, monachus in Clara Valle. 30.

NOVEMBER.

1. B. Eſpinela, virgo & monialis in Arouca.
2. B. Gilbertus Abbas VIII. Ciſtercienſis.
3. S. Malachias Epiſcopus.
6. B. Simon, Conuerſus Alnę in diœceſi Leodienſi, obijt.
11. V. Gaufridus, ex monacho Clare-Vallenſi Epiſcopus Soranus.
16. S. Edmundus, Archiepiſcopus Cantuarienſis.
21. V. Gelaſius, Abbas Boylenſis, an. 1582. in Hibernia martyr.
24. Translatio S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis, ad Pontiniacum.

DECEMBER.

3. S. Galganus eremita.
4. B. Chriſtianus, Epiſcopus & Apoſtolus Luuauiæ.
7. B. Gerardus, VI. Abbas Clareuallenſis & martyr.
9. Iacobus, cognomento Fortunatus, Aragoniæ Rex, fit monachus in Populeto anno 1275.
10. B. Florentius, primus Abbas inſtituti Ciſtercienſis in Caraceto.

B. Ida

B. Ida Niuellensis. 11.

B. Guerricus Abbas Igniacensis & Doctor. 12.

V. Humbertus, Comes Sabaudiæ. 17.

V. Iacobus Fornerius, ex Abbate Fontis Frigidi fit Papa Benedictus XII. 20.

B. Ioannes Zirita, Abbas Taroucanus, & fundator ordinis Equitum Auisiorum in Lusitania. 23.

S. Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, monachus in Pontiniaco, & martyr. 29.

B. Richardus monachus Aduuertensis in Frisia. 30.

CAPVT XVIII.

De Sanctis familiæ Præmonstratensis.

TRes omnino sunt, quod equidem sciam, ex ordine Præmonstratensi, qui vt Sancti officio Ecclesiastico coluntur, S. *Norbertus*, S. *Gilbertus*, & S. *Gerlacus*.

S. *Norbertus* ordinis Præmonstratensis cõditor, & pòst Archiepiscopus Magdeburgensis, an. 1134. Magdeburgi in Domino obdormiuit, à Gregorio XIII. an. 1582. Diuis adscriptus. Illius diploma exstat in Chronico nostro Præmonstratensi, ad annũ prædictũ.

S. *Gilbertus* Abbas, ex potente milite sæculi humillimus miles Christi,

eleemosynarum, abstinentiæ, paupertatis admirandus exemplis, anno 1152. migrauit ad Dominum. Sepultus est autem in monasterio diœcesis Claromontensis, *non procul à Scola Aruerniæ vico, ad quem locum pij laboris instantia eo ipso anno Præmonstratensium ordinem adduxerat: cuius magnitudinem meritorum magnitudo miraculorum declarat:* vt Robertus Sancti Mariani apud Autissiodorum, ordinis Præmonstratensis Canonicus, in suo Chronico, Trecis anno 1609. edito, loquitur. Quiescit autem hodieque in prædicto cœnobio, quod nunc *Sancti Gilberti* dicitur, & colitur ibidem officio Ecclesiastico, & alibi fortasse in diœcesi Claromontana. Est autem Sancti Gilberti nomen apud Aruernos celebre, multisque familiare: ex qua gente nostro æuo floruit *Gilbertus Genebrardus*, Theologus, & Chronographus toto orbe notissimus.

S. *Gerlacus*, eremita ordinis Præmonstratensis, quiescit in illustri sui nominis monialium cœnobio, in diœcesi Ruremundensi, secundo lapide à Traiecto Mosæ sito. Festum eius duplex celebratur feria secunda ante diem Pentecostes ibidem, & ab Ecclesia Cathedrali Ruremundensi in Geldria, Germaniæ inferioris prouincia: quo die tres istæ lectiones sacræ de ipso recitantur.

Ger-

Gerlacus nobili stemmate in Falckenburgensi prouincia natus, primùm ad militiam animum adiecit, & Tribunus equitum factus, cùm illorum more militum, qui castra sequuntur, vitam institueret, ex inopinata suæ coniugis morte consternatus, abiecto militiæ cingulo, cilicio & lorica supra nudum corpus indutus, pedibus nudis Romam profectus, apud Pontificem Maximum Eugenium III. deposita peccatorum sarcina, ex eius præscripto Hierosolymam profectus, & in xenodochium pauperum, vt pœnitentiam ageret, susceptus, totum illic septennium, in porcorum aliorumqúe animalium cura, exegit. Quo expleto pœnitentiæ tempore, Romam rediens, vt quæ de vini & carnium perpetua abstinentia, deqúe vsu loricæ, & cilicij alijsqúe pietatis exercitamentis Deo vouerat, in solitudine viuens redderet, in Falckenburgensem suam se denuo prouinciam, annuente Pontifice, recepit; vbi veternosam, & raræ crassitudinis quercum ad radices excauari, & magnam vim lapidum in eam inferri, & ex straminibus contextam stoream ijs imponi iussit: ibiqúe cilicio & lorica, sub candido Præmonstratensi habitu, nocte dieqúe indutus, totis quattuordecim annis, hoc est, vsque ad extremum vitæ suæ diem, austeram agens vitam, perseuerauit.

Cibus ei fuit ex hordeo cineribus mixto, potus aqua frigida, è fonte seu puteo vicino, in hodiernum vsque diem, ob Beati Gerlaci memoriam, celebri. Venientes ad se pauperes & peregrinos honestè & liberaliter tractabat, de suo interim

rigore nihil vnquam remittens. Quamdiu corpore valuit, omni die ad S. Seruatij honorandas reliquias summo mane, sesquihora sat difficili & molesto itinere, Traiectum Mosæ, Sabbatinis verò diebus ad memoriam Deiparæ Virginis Aquisgrani, nudis semper pedibus incedens, peregrinabatur, donec per ætatem, & alterius pedis impedimentum, redditus impotentior, asello vti cogeretur. Postea verò æmulorum quorundam maleuolentia, succisa quercu, duas alias angustissimas cellas construi fecit, quarum alteram suis vsibus & habitationi, alteram diuinis officiis, Episcopi sui venia, destinabat. Qui ad illum visendum subinde accedebant, tum sacerdotes, tum laici, eos vel ad virtutem pietatemqúe erudiebat, vel si erat improba illorum vita, acriter redarguebat. Non pauci quoque se illi tondendos offerebant, inter quos vnus fuit, cuius semel detonsi pili numquam ampliùs excreuerunt.

In Dominica, quæ Passionis dicitur, cùm sibi è puteo suprà nominato, ad sitim Leuandam, semel iterumqúe aquam hauriri iussisset, eaqúe in vinum vtraque vice fuisset conuersa, ipsemet ad puteum concessit, & hausta iterum aqua, tertiò est in vinum mutata. Morte imminente, cùm nullus ad manum esset sacerdos, qui extrema illi administraret Sacramenta, accessit diuina dispositione, specie venerandi senis S. Seruatius, niuea amictus stola, (quem in vita semper coluerat Gerlacus) à quo Sacramentis omnibus ritu Catholico munitus, pridie Theophaniæ in Domino obdormiuit, & in ligneo

su-

suo sacello thecæ pariter ligneæ, vti voluerat, inclusus, in profundissimam illic immissus est foueam. Sed Deus non diu inglorium esse permisit: mox enim diuinitus patefacta fouea, corpus sancti Viri, vnà cum cruce Hierosolymitana, & cilicij parte (quæ in hunc vsque diem conspiciuntur, & in pretio habentur) sursum è fouea leuatum, innumeris confestim claruit miraculis. Festiuitas verò, propter Epiphaniæ celebritatem, in secundam feriam, quæ sacratissimum Pentecostes diem antecedit, translata est; quo tempore, qui hominum malitia antea obstructus latuerat, miraculosus puteus, anno nonagesimo nono supra millesimum quingentesimum, An. 1599 Henrico Cuquio *Ruremundensi Episcopo iubente, repertus est: ossa quoque cum sancti viri memoria leuata, & ipse puteus miraculis denuò cœpit clarescere. Sic ferè legitur in officijs proprijs diœcesis Ruremundanæ, quæ dictus Episcopus Cuquius concinnauit, & Coloniæ an. 1604. typis edenda curauit.*

B. Elisabetha Arenistia, Horti Conclusi Abbatissa, intra muros Herentaliæ, quod est Brabantiæ opidum.

B. Euermodus, S. Norberti socius, & ex Præposito primo cœnobij B. Mariæ Magdeburgensis Episcopus secundus Raceburgensis, & Apostolus VVandalorum, anno 1177. ex hac vita ad meliorem abijt.

B. Garembertus, cœnobij Montis S. Martini, in diœcesi Cameracensi, fundator & primus Abbas, anno 1132. floruit.

B. Fredericus, Horti Mariani in Frisia & d. Leouardiensi fundator, & primus Abbas, anno 1175. in terris viuere desijt.

B. Godefridus, Comes Cappenbergensis in VVestphalia, Cappenbergensis, Varlarensis & Ilmstadiensis monasteriorum fundator, spreto sæculo monasticen amplexus, Cappébergæ an. 1126. ad cælos euolauit.

Venerabilis Godefridus Comes Namurcensis, in Floreffiensi monasterio à se condito Conuersus seu frater laicus, quiescit ante altare summum ibidem.

Venerabilis Gundisaluus, frater Alfonsi VIII. Castellę Regis; an. 1213. in monasterio S. Michaelis apud Villam maiorem, diœcesis Burgensis vicum, religiosam vitam professus est.

B. Gertrudis, filia S. Elisabethæ, Landtgrauiæ Hassiæ, & Abbatissa Aldenber-

 gensis,

gensis, in diœcesi Treuirensi, obijt anno 1297. ibidem honorificè condita.

B. Hugo, socius S. Norberti, eiusdem in cœnobij & ordinis vniuersi Præmonstratensis regimine successor, floruit an. 1242.

Venerabilis Iacobus Lacopius, Canonicus cœnobij Middelburgensis in Zelandia, an. 1572. Brilæ, pro fide Catholica Romana, laqueo vitam finijt, cum V. Adriano Hilvaribecano & alijs martyribus Gorcomiensibus.

B. Iacobus, Viconiensis cœnobij apud Valentianas Hannoniæ opidum, alumnus, ibidem in nouitiatu existés, animam immaculatam Deo reddidit. Floruit an. 1279.

B. Ioseph, Presbyter & Canonicus Steinfeldiensis monasterij, in diœcesi Coloniensi, eximius Deiparæ cultor an. 1236. claruit.

B. Isfridus, Episcopus tertius Raceburgensis in Germania, obijt anno 1205.

B. Ludolfus, Episcopus nonus Raceburgēsis & martyr pro ecclesiæ suæ libertate, floruit anno 1243.

B. Ludouicus, Comes & fundator Abbatiæ Arensteinianæ, in diœcesi Treuirensi, octauo Kalend. Nouemb. an. 1185. ibidem Conuersus viuere desijt: Vitam eius à coętaneo scriptam Christophorus Brovverus Societatis Iesu The-

Theologus anno 1616. Moguntiæ cum Notis publicauit.

B. Macarius ex Rege Armeniæ Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis in Cypro inſula, anno 1270. ibidem viuere deſijt.

B. Milo, monaſterij S. Iudoci in nemore Abbas, in diœceſi Ambianenſi, pòſt Epiſcopus Teruanenſis ſeu Morinenſis, an. 1158. ex hac vita deceſſit.

V. Rabodo, Parcenſis monaſterij extra muros Louanienſes Canonicus.

B. Radigundis ſeu VVedigundis, monialis inſtituti Præmonſtratenſis, in monaſterio S. Michaelis apud Villam maiorem, in regno Caſtellæ & diœceſi Burgenſi floruit, cuius hodieque corpus ibidem eſt in veneratione: vt per litteras nos monuit R. P. Michael Maldonatus, monaſterij S. Norberti Præfectus in vrbe regia Madrito, & ord. Præmonſtratenſis Procurator generalis in Hiſpania. Fuit autem iſto in loco duplex olim monaſterium, vnum virorum, alterum virginum.

B. Radulphus Abbas Viconienſis, pauperum benefactor eximius, obijt an. 1217. nonagenarius.

B. Rainerus, cœnobij S. Mariani apud Autiſſiodorum, Galliæ vrbem, primus

mus Abbas, an. 1146. hanc vitam cum meliore commutauit.

B. Richardus Anglicus, Canonicus Arensbergensis in VVestphalia: de quo Cæsarius dist. 6. cap. 100. & Molanus 30. Dec.

B. Rosnata, Bohemicè Hroznata, ex Principe Bohemiæ, Canonicus ordinis Præmonstratensis, Teplensis & Chotiessouiensis monasteriorum, in diœcesi Pragensi, fundator, martyr occubuit.

B. Siardus, Horti Mariani in Frisia Abbas quintus, annis triginta sex in regimine laudabiliter exactis, an. 1230. ex hac vita ad æternam transijt.

De singulis plura vide in Chronici nostri Præmonstratensis Editione secunda, quæ est auctior.

CAPVT XX.

De Sanctis ac Beatis ex ordine Canonicorum Regularium.

DE primorum sæculorum Sanctis toto orbe notis haut visum hic tractare, sed de illustribus aliquot posterioris æui hominibus, qui Canonicos inter Regulares floruerũt, aut illud institutum amplexi sunt, quædam subijciam.

De S.

De S. Maria Ogniacensi, & B. Iacobo Vitriaco Card. & Episcopo Aconensi.

MAria Niuellis Brabantiæ opido honestis parentibus orta, ab ineunte ætate futuræ sanctitatis prodidit indicia nō pauca, inter cętera assiduę orationis exercitiū: in quo frequenter non somno, sed Angelicis choris sopita pernoctabat. Anno quartodecimo ætatis à parentibus contra voluntatem nuptui tradita, sponsum ita castitatis ac pietatis studio incendit, vt eum deinceps in sui casti propositi & vitæ institutione coadiutorem habere meruerit ac socium. Mutuo enim consensu, facultatibus in pauperes erogatis, in vicum opido vicinum sese conferunt, leprosis ministraturi. Tanta in ægrotos commiseratione afficiebatur, vt apud eos integras quandoque noctes duxerit insomnes.

Vnde & eius merita plerisque corpore, pluribus autem animo malè affectis medebantur. Contra blasphemiæ autem & desperationis spiritum gratia eminebat singulari. Vt verò orationum eius efficaciam experti sunt homines ad subsidium; ita & dæmones ad tormentú. Eorum enim laqueos alijs detegebat, & quos interdum precibus non poterat, addito ieiunio vincebat.

Porrò

Porrò abſtinentia erat admirabili, carniū & vini abſtemia, ſolas herbas & legumina, rariſſimè piſciculos, & maiore anni parte panem & aquam, ſemel in die circa veſperum eaque parciſſimè, ad victum adhibebat. Imò plures dies, vltra naturæ vires, inedia conſumebat, poſtremo atque primo ieiunij die nihil ſeciùs labori apta. Ieiunio autem ad corporis caſtigationem alia pietatis opera addebat, magis admiranda quàm imitanda, pari charitate, pari vigilantia, pari ſolitudine & ſilentio: cuius adeò ſtudioſa fuit, vt eo ſe illud vel maximè impetraſſe diuinitus cognouerit, quòd ad cœlū citra purgatorij pœnas migraret.

Lacrymarum dono excelluit, idque alijs impetrauit, prophetiæ inſuper & ſeptemplici Spiritus dono illuſtris. At hominum, qui ad eam confluebant, frequentiam exoſa, in *Ogniacum* locum ſibi antea ignotum, ſed diuinitus oſtēſum migrauit. Trimeſtre interuallum, vndecim refectionibus iiſque parciſſimis, poſtremùm dimenſa eſt: quinquaginta verò & tres vltimos dies ſolū Chriſti corpus eſuriens cum ceterorum nauſea protraxit. Tandem morti proxima, morbo, quo afflicta fuerat, à Domino ſubleuata, quaſi è miſeriarum gurgite emergens, inter ſanctos illos, quibus ſana familiaris fuerat, inter virginem Deiparam, cuius monitu ſacrum oleum petijt & accepit, inter

ipſum

ipſum quoque Chriſtum, qui victoriæ ſignum ad eius pedes fixit, in cantica erupit, viſo pariter, ſed fugato communi generis humani hoſte, & quaſi victoriam canens in Chriſti adſtantis manus cantato *Alleluia*, & gratijs Deo Patri actis, ſpiritum commendauit & reddidit, ipſa Dominici Præcurſoris vigilia, anno ſalutis ſupra milleſimum ducenteſimo tertiodecimo: ætatis verò circiter triceſimo ſexto. *An. 1213*

Ita legitur in officijs proprijs SS. diœceſis Namurcenſis, anno 1619. ibidem editis; iuſſu Ioannis Dauuini Epiſcopi Namurcenſis.

Ceterùm hiſtoria vitæ B. Mariæ Ogniacenſis libris duobus ſcripta eſt à B. *Iacobo Vitriaco* Cardinale & Epiſcopo Aconenſi, qui ſanctæ virgini familiariſſimus fuit: exſtantque apud Surium typis editi. His duobus libris tertium adiecit Canonicus quidã Regularis Cantipratenſis, qui manuſcriptus Ogniaci exſtat.

Iacuit autem venerandum corpus B. Mariæ ſepultum in templo monaſterij Ogniacenſis (quod ſitum eſt ad Sabim fl. in Gallo-brabantia, inter Niuellam & Namurcum opida, pari penè interuallo) vſque ad annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum octauum, quo *Franciſcus Buiſſeretus* tunc Namurcenſis Epiſcopus, pòſt *An. 1608*

Came-

Cameracensis Archiepiscopus, illud è terra leuauit, & capsæ decenter ornatæ inclusit, adstantibus *Floressiæ* & *S. Foillani* Abbatibus, ex ordine Præmonstratensi.

An. 1192 Dicti monasterij fundamenta circa annũ Domini 1192. locauit *AEgidius à VValecuria*, eiusdem fundator ac primus Antistes. Templum consecrauit B. *Iacobus Vitriacus*, Episcopus Aconensis, illius olim loci alumnus; vt in vita B. Mariæ Ogniacensis lib. 3. narratur. Historiam dicti monasterij Ogniacensis scripsit *Franciscus Moschus*, Niuellensis, Canonicus Seclinieusis, Duaci anno 1598. editam.

Vita B. Iacobi Vitriaci ab *Andrea Hoio* Eloquentiæ apud Duacenses Professore scripta est, & edita ibidem cum Vitriaci historia Orientali & Occidentali.

De S. Guilielmo Abbate Eschilensi in Dania.

6. Apr. S. Guilielmus primus Abbas fuit cœnobij Canonicorum Regularium, siti in Eschilẽsi insula, & diœcesi Roschildensi apud Danos, ad id munus Parisijs euocatus ex S. Genoueuæ monasterio. Obijt autem anno 1224. Romano Martyrologio ad diem sextum Aprilis adscriptus. Vita eius exstat apud Surium tom. 2.

De

De V. Ioanne Rusbroquio.

SEcundo ferè lapide à Bruxella, Belgarum vrbe regia, ſita eſt *Viridis Vallis*, Canonicorum regularium cœnobium illuſtre. Huius loci primus Prior ac veluti fundator fuit Venerabilis *Ioannes Rusbroquius*, cuius ſcripta aſcetica piorum manibus teruntur. Obijt autem plenus bonorum operum poſtridie Kalen. Decembris: viſiturque etiamnum tumulus eius ibidem.

De Venerabili Thoma Kempenſi.

25. Iulij.

IN diœceſi Dauentrienſi, apud Germanos Inferiores, præclarum olim fuit cœnobium nomine *VVindeshemium*, à quo Congregatio ſeu Capitulum VVindeshemenſe, Canonicorum regularium, nomen accepit, octoginta ampliùs per Germaniam Superiorem atque Inferiorem monaſteria complectens.

Inter alia celebre fuit cœnobium *Montis S. Agnetis*, apud Suollam d. Dauentrienſis opidum, anno 1398. fundatum, cuius primus Prior fuit *Thomas à Kempis*. Quantæ pietatis ac deuotionis iſte vir fuerit, loquitur

eius de Imitatione Christi libellus (vt de alijs scriptis nihil dicam) quem plerisque nostri ac superioris sæculi viris sanctissimis, *S. Carolo Borromæo, B. Ignatio Loiolæ, B. Philippo Nerio*, alijsque persamiliarem fuisse constat.

Ceterùm Thomas natus est Kempis, opido modico diœcesis Coloniensis: vnde cognomen ei quoque adhæsit. Obijt anno ætatis suæ nonagesimo secundo partæ per Christum salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, die 25. Iulij. Vitã eius scripsere Ioannes Buschius Synchronus, Iudocus Badius, & Heribertus Rosvveidus, quos consule sub finem dicti libelli de Imitatione Christi typis Plantinianis editi.

Idem Buschius scripsit librum de Origine monasterij VVindesimensis, & alterum De viris Illustribus Capituli VVindesimensis, quos, vt spero, breui idem Rosvveidus luce publica donabit.

VVindesimẽse porrò monasterium à Caluinistis excisum iacet: durat tamen hodieque Capitulum VVindesimense, cuius supremus Antistes nunc residet Coloniæ in monasterio Corporis Christi.

De beatis aliquot martyribus, ac presbyteris, ex Ord. Canonicorum regularium, Brilæ anno 1572. à Caluinistis laqueo

laqueo ſuſpenſis, vide Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium, à Guilielmo Eſtio Cancellario Duacenſi editam.

CAPVT XXI.

De ordine monachorum Charitatis B. Mariæ, ſub regula S. Auguſtini militantium.

HVius ordinis caput eſt monaſterium *Boucheraumontanum*, in diœceſi Catalaunenſi, ſecundo lapide à Iainvilla opido ſitum. Quod quidem monaſterium ſeu Hoſpitale, titulo Charitatis B. Mariæ in gratiam infirmorum ac pauperum, *Guido Iainvillanus*, miles & Dominus Burgi S. Georgij ſuo in fundo conſtruxit atque dotauit, Bonifacio VIII. Papa primùm, pòſt Clemente ſexto anno Chriſti 1347. approbantibus.

Eſt autem Iainvilla opidum in Campania regni Galliæ prouincia ſitum, Principatus titulo nobile, ſpectatque ad gentem hodie Lotharingicam ſeu Guiſiam.

Catalogus monaſteriorum Ord. Charitatis B. Mariæ.

Domus Boucheraumontana S. Ludouici, in diœceſi Catalaunenſi.

Domus Billetarum, in vrbe Parisiensi.

Domus S. Ludouici, in d. Siluanectensi.

Domus Baiocensis, in suburbijs sita, & diœcesi eadem.

Domus S. Trinitatis de Harofloto, in d. Rotomagensi.

Domus S. Laurentij, in Flandria, & d. Iprensi.

Domus S. Nicolai de Bassis Lobijs, in d. Senonensi.

Domus S. Acharij, in Flandria & d. Iprensi.

Domus S. Ioannis Furnensis, in Flandria.

Domus S. Ludouici de Columna, in d. Vesontionensi apud Burgundos.

Domus S. Ludouici de Montenot, in d. eadem.

Domus S. Ludouici & S. Agnetis.

Domus S. Thomæ martyris, in d. Rotomagensi.

Prioratus S. Germani, in d. eadem.

Prioratus S. Saluatoris, in d. Parisiensi.

Prioratus S. Mariæ de Veteri Vreio, in d. Sagiensi.

Ceterùm Parisiense monasterium seu Capellam, quæ Miraculorum nomine nuncupata est, *Rainerus Flamingus*, ciuis Parisiensis, anno

anno Domini millesimo ducentesimo nona- *Anno*
gesimo quarto ædificandam curauit, eo ipso *1294.*
in loco, quo Iudæus quidam perfidus Hosti- *Anno*
am sacram, quadriennio antea cultro trans- *1290.*
fixerat, sanguine mox miraculosè ex eadem fluente. Idem Flamingus deinde dictam Capellam, procurante *Guidone de Iainvilla*, Fratribus Charitatis B. Mariæ, Catalaunensis diœcesis, adtribuit. *Philippus* autem Francorum Rex, cognomento Pulcher, domo quadam, prædictæ Capellę vicina, anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono, locum illum auxit. Sic fere legitur in lectionibus sacris, per Billetenses monachos quotannis Dominica in Albis recitari solitis.

Sacra porrò ac miraculosa Hostia in basilica parochiali S. Ioannis in Grauia Lutetiæ est collocata. Quo factum est, vt temporibus *Caroli Pulchri* Galliæ Regis dicta basilica multitudinem populi confluentis non capiens, debuerit ampliari. *Confluebant autem eò, ob venerationem Sacræ Eucharistiæ, in qua Dominus noster Iesus Christus, sua ineffabili pietate & mira potentia, ad nostræ fidei firmitatem, tantum miraculum palàm monstrare dignatus est, quod dum perfidus Iudæus eam gladio, clauo, & alio cuspide trãsfigere & laniare, igneque & aqua feruentibus, ac modis nefandis alijs varijs & perfidis, consumere damnabiliter moliretur, non valuit; sed sanguis sacratissimus mirè fluxit ex sacra Hostia, viua carne & vero Corpore Christi, quod in eadem*

requiescit ecclesia: vt in suo diplomate anno 1326. idem Carolus Rex loquitur.

Culter porrò, quo Iudæus tam immane facinus patrauit, in dicto Billetarum cœnobio hodieque seruatur. Ibidem conditus iacet *Papirius Massonus,* quem nos olim, vt & fratrem eius *Ioannem Massonum*, Canonicum Baiocensem familiariter nouimus. Obijt Papirius Annalium Galliæ scriptor anno Christi millesimo sexcentesimo vndecimo, ætatis sexagesimo sexto.

FINIS.

LAV-

LAVDATIO
S. THOMÆ
AQVINATIS, EIVS-
QVE DOCTRINAE,

DICTA BRVXELLIS IN
æde Sacra PP. Dominicanorum
Idibus Martij, anno
1619.

Ab
*Auberto Miræo Bruxellensi , Ser.rum
Belgij Principum Capellano Oratorij,
ac Bibliothecario , & S.Th.
Licentiato.*

S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, ex ordine Prædicatorum, Neapoli à Gregorio X. Papa ad Concilium Lugdunense euocatus, cùm in iter se dedisset, in fossa Noua, monachorum Cistercienſium cœnobio, in morbum incidit, ibidemqúe quinquagenarius anno Christi 1271. Nonis Martij in Domino obdormiuit: à Ioanne XXII. in Diuos anno 1323. relatus. Sacrum eius corpus Tolosam in Galliam, Vrbano V. Pontifice, est translatum.

LAV-

LAVDATIO S. THOMÆ AQVINATIS, EIVSQVE DOCTRINAE.

RELIGIOSAE ac communis vitæ ſtatum à *Chriſto* Saluatore noſtro inſtitutum, & Apoſtolis ab eodem præſcriptum fuiſſe, nemo ſacrarum litterarum vel mediocriter peritus ignorat. Eam viuendi formulam à magiſtro ſuo acceptam *Apoſtoli* primæuæ Eccleſiæ tradiderunt; adeò vt *multitudinis credentium eſſet cor vnum, & anima vna: neque quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe diceret, ſed eſſent illis omnia communia:* vt in Actis Apoſtolorum diſertè legitur. Religioſæ vitæ origo. Acto. 4.

Religioſum iſtud vitæ genus, aureo Conſtantini Imperatoris æuo, *Antonius* & *Hilarion* mirificè auxerunt: quorum prior AEgyptum, ac Thebaidem, poſterior Palæſtinam ac Syriam, per ſe ſuoſque aſſeclas monachorum turmis impleuit. Floruit deinde magnus ille *Baſilius* Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, qui Græciæ & Aſiæ monachus primus Progreſſus in AEgypto. Syria. Græcia.

vitæ regulam præscripsit, quam hodieq; seruat Oriens vniuersus.

An. 398. in Africa. In Occidentali Ecclesia *Augustinus* an. circiter salutis trecẽtesimo nonagesimo octauo ordinem Clericorum Regularium instituit, & more Apostolico vitam cum eis cõmunem egit. Italia, & reliqua Europa. Sexti deinde sæculi Christiani initio, monasticum suum institutum in Monte Cassino S. *Benedictus* inchoauit, quod & Europam vniuersam mox occupauit. Post Benedictum *Odo* Cluniacensium, *Romualdus* Camaldulensium, *Bruno* Carthusianorum, *Robertus* Cisterciensium, *Norbertus* Præmonstratensium, alij aliarum legionum monasticarum auctores ac principes exstiterunt.

Prædicatorum origo. Mendicantes inter Ordines primũ ac prestantissimũ *S. Dominicus* Calaroge in Vxamẽsi diœcesi, nobilissima Gusmanorũ apud Hispanos stirpe natus, excitauit. Qua quidẽ religiosissima Prædicatorũ familia, rebus toto terrarũ orbe contra Infideles, Iudæos, Mahumetanos, & Hæreticos fortiter gestis, nulla vnquã fuit illustrior. Ea namque vix nata, in *Gallia* VValdensiũ, & Albigensium Hæreses exstinxit; Res gestæ pn Europa. robustior facta, ex *Hispania* Mauros ac Saracenos pepulit; in *Italia* Manichæorum reliquias funditus exscidit; in *Dania*, *Noruegia*, *Suecia*, *Liuonia*, alijsque regionibus, ad Septẽtrionẽ sitis, Christianæ religionis pomeria longissimè protulit. Asia. Ex Europa in Asiã transiens, sacros Latinæ Ecclesiæ ritus in *Armenia*

maio-

maiorem inuexit, vbi hodieq; Nexiuanensem Archiepiscopatũ, cũ opidis tredecim, medios inter Turcas ac Persas, feliciter moderatur.

In Africa *AEthiopiam*, regnum *Congianum, Guineam*, aliasque prouincias, & Oceani insulas Christo adiunxit: in extremam denique *Indiam* enauigans, Euangelicam doctrinam apud Antipodas & alio sole calentes populos, longè lateq; disseminauit. Ex Orbe Veteri in *Nouum* transuecta, vt Christi regnum apud barbaras illas gentes à se fundatum stabiliret, duas Academias celeberrimas, Mexicanam in Noua Hispania, & Limensem in regno Peruano excitauit. Africa. In Orbe Nouo.

Huius porrò sanctissimę familiæ Dominicanæ nobilissimum germen ac decus exstitit *S. Thom. Aquinas*, Doctor verè Angelicus, cuius hodierno die festiua sacra celebramus. De cuius laudibus etsi satiùs foret silere, quàm pauca dicere; vt tamen pio vestro, Auditores, desiderio ex parte faciam satis, paucula quædam de eximijs eiusdẽ virtutibus, ac doctrina propemodum diuina in medium adferam. Quod dum pro ingenij ac dictionis meæ tenuitate facio, etiam atque etiam rogo, vt me benignè patienterque audiatis.

Antiquitatis Ecclesiasticæ scriptores notãt, singulis penè regnis ac prouincijs splendidissima quædam sanctæ Nobilitatis sidera diuinitus illuxisse. Vt à Germania, Romani Imperij sede, ordiar, habuit ea *Carolum Magnum* Principes sãctitatis opinione clari. In Germania.

num & *Henricum Primum*, Imperatores Christianæ Religionis studiosissimos; Hispania *Hermenegildo*, Leouigildi Visigothorum Regis filio & martyre, *Isidoro* & *Leandro* Episcopis regia stirpe natis; Gallia *Ludouico IX.* Rege sanctissimo, & *Eleazaro* Comite; Aquitania *Guilielmo* Duce, & pòst Eremita innocentissimo gloriatur. Hungaria *Stephanum I.* eiusque filium *Emericum*, & *Ladislaum* Reges, vitæ morumque integritate laudatissimos; Bohemia *VVenceslaum*, Polonia *Casimirum*, Casimiri Regis filium, Sicilia *Ludouicum* Episcopum Tolosanum, Austria *Leopoldum* Marchionem, Mantua *Aloysium Gonzagam* prædicat.

Hispania. Gallia. Hũgaria. Bohemia. Polonia. Sicilia. Austria.

Quin etiam toto diuisus ab orbe Britannus
Haut paucos numerat Reges, quos Rector Olympi
Extulit, atque ardens euexit ad æthera Virtus.

Britãnia.

Primus ex ea gente Rex Christianus fuit S. *Lucius*, quem deinde secuti sunt *Edilbertus*, *Richardus*, *Osualdus*, *Eadmundus*, & *Eduardi* duo, omnes Romani Martyrologij tabulis adscripti.

Sed & frigidus Septemtrio, à quo malum omne Hæreseos nostrâ ætate profluxit, huius olim laudis ac gloriæ expers non fuit. Dania namque *Canutum*, Noruegia *Olaum*, Suecia *Ericum*, Reges ac martyres sanctissimos protulit.

Dania. Noruegia. Suecia.

Vt

Vt in Galliam Belgicam, vicinaſque nobis prouincias transſeamus, Auſtraſia in cœlum laudibus effert S. *Sigebertum* Regem, Burgundia *Guntrammum* & *Sigiſmundum*, piiſſimos itidem Reges, Brabantia *Pipinum* Ducem, *Albertum* Cardinalem & Epiſcopum Leodienſem, Geldria *Megengoſum* Comitem, Luxemburgenſis prouincia *Petrum* Cardinalem, Flandria *Carolum* cognomento *Bonum*, Comitem & martyrem, Hannonia *Vincentium* Sonegienſem, eiuſque filium *Landricum* Meldenſem in Gallia Epiſcopum extollit. Auſtraſia. Burgũdia Belgica.

Itaque ne ſuum regno Neapolitano deeſſet ſanctæ Nobilitatis ſidus, *Thomam Aquinatem* orbi dedit Deus, nobiliſſimo Aquini & Belicaſtri Comitum genere feliciter natum.

Eſt autem natus in opido Belicaſtro, quod Epiſcopali dignitate, & Comitatus titulo hodieque apud Calabros eminet, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo viceſimo tertio, vt S. Antoninus Archiepiſcopus in Chronico tradit: quo tempore Albigenſes in Gallia Hæretici recens exorti non ſolùm concionibus ac ſcriptis, ſed etiam armis impia ſua commenta pertinaciter tuebantur, & quà per Europam poterant, ſtudioſè diſſeminabant. Nimirum vt Simoni olim mago *Simonem Petrum*, Apoſtolorum principem, Ario *Athanaſium*, Neſtorio *Cyrillum Alexandrinum*, Iouiniano S. Thom. naſcitur. An. 1223.

niano & Vigilantio *Hieronymum*, Pelagio *Augustinum*, Tanchelino *Norbertum*, sic Albigensibus veteres plerasq; sectas velut ab Orco reuocãtibus, *Thomã* Doctorem Angelicũ, mille clypeis instructum, Deus Opt. Maxim. opposuit. Hoc namq; diuinæ clementiæ proprium ac perpetuum est, hæc altissima cælestis prouidẽtiæ ratio, vt quando acerrimè à Sectarijs Ecclesia orthodoxa oppugnatur, fortissimos tunc excitet antagonistas ac defensores. Curiosa antiquitas obseruauit, quo die Pelagius in Britannia, publico damno, natus est, eodẽ ipso die clarissimum Ecclesiæ lumen, *Augustinum*, summo Reipublicæ Christianæ commodo, in Africa emicuisse. Cùm Petrus Bruisius, & alter Petrus, cognomento Abailardus, nouis suis opinionibus Galliã turbarent; *Petrus Cluniacẽsis*, & *Bernardus* Abbas Claræ Vallis, in aciem prodeuntes, regno florentissimo mox pacẽ reddiderũt. Cũ Belgicã nostrã Adamitica ac Sacramẽtaria Tanchelini Hęresis infestaret, oportunè *Norbertus* candidi Ord. Præmõstratensis auctor ac princeps aduenit, vt pestẽ illã Antuerpiæ & alibi pullulantẽ, cũ per se, tũ per sodales suos, velut in herba opprimeret. Sic & nostro æuo impijs Lutheri, Zuinglij, Caluini, Mẽnonis, aliorumque Hęresiarcharũ conatibus atque insultibus fortissimam *Societatis Iesu* legionem, instar muri ac propugnaculi, cæleste Numen obiecit.

VVaffila.

Igitur & *Thomas* Ecclesiæ diuinitus olim

datus

datus eſt, vt Albigenſium furorē ſiſteret, conatus infringeret, cauſam deniq; iugularet.

Porrò vix ſecundum ætatis ſuæ luſtrum attigerat, cùm ad Montem Caſſinum, magni illius Benedicti, monachorum in Occidente patris, domicilio nobilem, à parentibus miſſus, illius loci monachis in diſciplinam eſt traditus. Quod ne mirum cuipiam fortaſſe videatur, ſciat, neceſſe eſt, celeberrimas olim ſcholas ſuis in monaſterijs Benedictinos habuiſſe. Enimuerò maiores noſtri litteras tradendi curam, iam inde à primis Eccleſiæ temporibus, ſacramento ordini demandandam eſſe cenſuerunt, quòd plurimùm referre exiſtimarent, ſi pueri pietatem cum litteris ſenſim inſtillatam auribus oculiſq; imbiberent, apud viros Eccleſiaſticos aſſiduè verſantes. Primis itaque ſæculis *Benedictini* in palæſtra illa ſcholaſtica, magno & ſuo & Reipublicæ commodo, deſudarunt: vnde & nationum omnium fauor, & opes illis immenſæ acceſſerunt. Idem poſtea ſtudium atque operam erudiendæ iuuentuti P P. *Dominicani* impenderunt: vt *a* Ferdinandus Caſtellius, & alij rerum à Dominicanis geſtarum ſcriptores, *b* Petrus item Ribadineira in vita B. Ignatij Loiolæ commemorant.

Horum deinde veſtigijs inſtiterunt *Fratres vitæ communis*, à Gerardo Magno Dauentrienſi primùm inſtituti, & à Ioanne Gerſone

In monte Caſſino educatur.

Vide ſextā Synodū, qua fuit III. Conſtantinopolitana.

Benedictini ſcholas aperiunt.

Dominicani.

a *Lib.* 1. *c.* 70.

b *In vita B. Ignatij l.* 3. *c.* 24.

Fratres vitæ communis.

Vide Chronicō noſtrum.

ſone Cancellario Pariſienſi contra obtrectatores ſtrenuè defenſi: qui Dauentriæ, Vltraiecti, Coloniæ, Aquiſgrani, Veſaliæ, Leodij, Bruxellis, Siluæ-ducis, Gandaui, Cameraci, & alibi florentiſsima gymnaſia, ad noſtram vſque ætatem, habuerunt.

Laudanda igitur *Societas Ieſu*, quæ toto terrarum orbe, ſummo Reipublicæ Chriſtianæ bono ſcholas aperit. Laudandi *Benedictini*, qui maiorum ſuorum æmulatione, Hierarchij & alibi in Hiſpania, Salisburgi in Germania, & Duaci in Flandria, diſciplinas omnes profitentur. Laudandi PP. *Eremitæ Auguſtiniani*, qui magni illius Auguſtini parentis ſui exemplo, apud Brabantos, Flandros, Eburones, & alibi iuuentutem optimis & moribus & litteris imbuunt. Laudandi denique Patres *Dominicani*, qui Salmanticæ, Compluti, & Valliſoleti in Hiſpania, Conimbricæ in Luſitania, Mexici & Limæ in Orbe Nouo, & alibi primarias Cathedras Theologicas velut hæreditarias cum laude poſſident, & ab humaniorum quoque litterarum profeſſione apud Belgas non abhorrent. Rati nimirum, quod res eſt, ſi Eccleſiam, ſi ſaluam velimus eſſe Rempublicam, præcipuam & maximam iuuentuti curam eſſe impendendam. Qua de cauſſa prudentiſſimè Concilij Tridentini Patres ſtatuerunt, vt ſingulis in diœceſibus ſeminaria, alendis atque erudiendis adoleſcentibus, excitarentur.

Lira, Brania & Ipris.

Seſſ. 23. can. 18.

Sed

Sed vt vnde digressa est, eò redeat oratio, in Monte Cassino cùm prima virtutum ac litterarum rudimenta à Benedictinis *Thomas* hausisset, quæ ad reliquum vitæ cursum sanctè innocenterque prosequendum illi mirificè profuerunt, Neapolim adolescens se contulit. Qua in vrbe florebant id temporis magna doctrinæ ac sanctitatis opinione Patres è Dominicana familia non pauci, in his *Ioannes à Sancto Iuliano*, & *Thomas Agnus Lentinus*, qui Patriarcha Hierosolymitanus postea exstitit. Horum exẽplo ac pijs monitis, vt fieri amat, adolescens motus, anno ætatis tertiodecimo Dominicanæ militiæ nomen dedit, matre, fratribus, sororibus, ac propinquis omnibus nequidquam indignantibus. *Adeò à teneris assuescere, multum est.* S. Thom. fit Dominicanus. *Virgil.*

Sed heus versipellis & fraudulente dæmon, qui circuire soles, quærens quem deuores, dormis, an vigilas? *fœcundum concute pectus*, mille tibi nocendi artes, mille doli, mille fallaciarum modi.

Suadente itaque communi generis humani hoste, & procurantibus germanis fratribus sanctissimus adolescens in itinere à militibus Frederici II. Imperatoris vi abripitur, castro S. Ioannis includitur, biennio fere toto in arcta custodia detinetur, à matre, fratribus, ac sororibus variè exagitatur, procax demum meretricula ad labefactandam fortissimi animi constantiam à fratribus introducitur. Custodiæ mãdatur.

Tu contrà quid agis, castissime adolescens? titionem semiustum è foco arripis, impudens scortum abigis, & flexis ante signum Crucis genibus, Te tuaque omnia Deo eiusq; matri Virgini dicas, consecras. Nec defuit clienti suo benignus Deus, qui lumbos Angelico tibi ministerio constrinxit, & perpetuæ continentiæ laurea te donauit, vt quẽ honoris locum inter Apostolos *Ioannes Euangelista*, eũdẽ & Tu Doctores inter Ecclesiæ obtineres.

Ceterùm, agente Innocentio IV. Pontifice, post biennium dimissus è custodia Thomas, à B. *Ioanne Teutonico*, Ordinis Prædicatorum generali tunc Præfecto, primùm Neapolim, inde Romam, pòst Lutetiam Parisiorum, ac demum Coloniam Agrippinam abducitur, *Magni* illius *Alberti*, Ratisponensis postea Episcopi, futurus auditor. Quo doctore tantos in studijs progressus fecit; vt magistri luminibus obstruens discipulus, non modò in Philosophicis, sed etiam in Theologicis, vniuersi orbis iudicio, ipsum longè superarit. Testantur id eruditissimi in *Aristotelicos Logicorum*, *Physicorum*, *Metaphysicorum*, *Ethicorum ac Politicorum* libros commentarij; testantur doctissimæ in *Scripturam sacram*, & in Petrum Lombardum Parisiensem Episcopum (quem *Sententiarum Magistrum* nuncupant) elucubrationes; testatur *Summa contra Gentiles* accuratissimè conscripta; testatur denique *Summa* alte-

Alberti Magni fit auditor Coloniæ.

Eius scripta varia.

Summa Theologica.

altera, quæ vniuerſæ doctrinæ Theologicæ rationem mirabili quadam methodo complectitur, quæque exploſo Sententiarum Magiſtro, in vniuerſis penè Orbis Academijs meritò palmam nunc obtinet.

Omnium ætatum hæretici à S. Thoma confutati. *Vide Seraph. Caponium in Summam.*

Quo quidem opere (mirum dictu) non vnius aut alterius, ſed omnium ſæculorum Hæreſes, & natas & naſcituras, velut ancipiti quodam gladio confecit ac iugulauit. Id luce meridiana vt clarius innoteſcat, ſingulorum, quæſo, ſæculorum Hæreſes breuiter excutiamus.

Capharnaitæ.

Agmen ducant Hæreticorum primogeniti *Capharnaitæ*, quorum illa vox fuit incredula, *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Eodem ſæculo Cherinthus, & Ebion, eius diſcipulus, Chriſtum purum eſſe hominē ex Ioſepho & Maria natū impiè docuerūt. E contrà Thomas Chriſti diuinitatē, eiuſq; realē in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramēto præſētiā, ſi quis alius, fortiſsimè adſeruit. Secuti deinde ſūt *Nazaræi* Iudæorū fæces cum Chriſtiana puritate confundentes.

Ebionitæ.

Nazaræi.

Tertio ſæculo *Manichæi* emerſerunt, qui libero hominem arbitrio exuebant, & ſcelerum auctorem Deum faciebant; aliquantò minore tamen impietate, quàm Caluiniani hodie faciant. Manichæi namque ficto quodam Deo, malorum omnium principio, omnem inuidiam in illum exonerabant, vt eam à Deo bonorum om-

Manichæi.

Caluiniani. nium fonte auerterent. *Caluiniani* verò inaudita quadam & se ipsam soluente impietate ab eodem diuinitatis Oceano iustitiæ & iniquitatis riuos manare contendunt. Hoc Caluinus, hoc Beza apertè docuit, & in magistrorum vestigijs discipulorum plurimi pedem intrepidè figunt, vt Geneuenses in Gallia, Heydelbergenses & Marpurgenses in Germania, *Puritani* in Britannia, & Gomaristæ in vicina nobis Batauia. Resiliunt alij, vt *Arminiani*, & in tam horrendo flagitio fontem non tenent.

Puritani. Gomaristæ. Arminiani.

Manichæi item solos se diuina luce illustratos prædicabant: vt Caluiniani hodie solis sibi diuinum lumen affulsisse glorientur; ceteris ad Cimmerias tenebras damnatis. Manichæi denique electos ac prædestinatos sese passim iactitabant: sic Caluinianide sua salute, per inanem scilicet fidem securi vano Prædestinatorum nomine triumphant. Quis verò nescit, Manichæos, adeoque Caluinianos, non in abdito cellulæ recessu tantùm, sed in ipsa etiam mensa S. Ludouici Galliæ Regis à Doctore nostro Angelico debellatos fuisse?

Conclusum est cõtra Manichæos.

Manichæos exceperunt *Ariani*, *Macedoniani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Pelagiani*, *Seruitiani*, & alij eius farinæ homines malè feriati, qui tria fere sęcula suis erroribus fœdarunt.

Ariani, Pelagiani, & alij.

Septi-

Septimo sæculo Mahumetes, exitialis illa orbis terrarum pestis, sectam suam periculosissimam excitauit, *Sergio* Apostata velut pędagogo praeeunte, qui inter alia docuit Deum malorum omnium, hoc est, culparum & pœnarum omnium auctorem esse; Christum cœli terræque conditorem propriè non esse nuncupandum; Deo Patri, qui vnus antonomasticè sit Deus, laudem illam esse tribuendam. Mahumetani. Sergiani.

Post Sergium Mahumetis magistrum Iconoclastæ in orbem prodierunt, qui Iudæorum ac Mahumetanorum impulsu sacras è templis imagines apud Græcos, Asiaticos, Arabes & alios Orientales populos exturbarunt. Et ne Occidentalis nostra Ecclesia à clade foret immunis, *Claudius Taurinensis* Sanctorum cultum abdicandum, pias item peregrinationes abrogandas esse censuit. Iconoclastæ. Claudius Taurinēsis.

Photius deinde Patriarcha Constantinopolitanus Græcis auctor pessimi schismatis fuit, quod in apertam postea dissensionem erupit: facta namque ab Ecclesia Romana secessione, Græci sæculis insequentibus Romani Pontificis primatum subuertere conati sunt, & Spiritum Sanctum à solo Patre procedere docuerunt. Et verò quis ignorat, Græcos ac Saracenos, non modò Summa illa, quam diximus, Theologica conscripta, sed peculiaribus etiam libris, qui in- Photius. Græci schismatici.

ter Opuſcula leguntur, à Doctore noſtro validè confutatos fuiſſe atque conuictos?

Berengarius.

Venio ad Berengarij tempora, quem noſtræ ætatis Hæretici, vt ducem & anteſignanum ſuum meritò colunt ac venerantur. Is primùm auguſtiſſimo Sacramento veram corporis Chriſti præſentiam impiè detraxit: quem errorem cùm poſtea reuocaſſet, docuit cum Chriſti corpore panem quoque ſubſiſtere: addidit demum, non paruulos, ſed adultos tantùm eſſe baptizandos. Itaque primo illo ſuo errore *Zuinglianis, Caluiniſtis*, & alijs Sacramentarijs, ſecundo *Lutheranis*, & tertio *Anabaptiſtis* viam aperuit: & ne quid deeſſet, etiam cum dæmone familiariter eſt verſatus, vt noſtro æuo Lutherus, qui præcipua argumenta, quibus ſacroſanctum altaris myſterium oppugnauit, tanto magiſtro fert accepta.

Caluiniſtarũ, Lutheranorum & Anabaptiſtarum parens.

De *VValdenſibus, Albigenſibus*, Fratricellis, *Begardis, Flagellantibus*, Huſſitis, & alijs poſteriorum ſæculorum Nouatoribus nihil opus eſt dicere, quòd ij ſuperiorum fere ætatum Hæreſes ab inferis reuocarint.

Albigenſes, Huſſitæ, & alij.

Quis verò neſcit, ſummo animorum conſenſu, ab vniuerſis omnium nationum Patribus, in Concilio œcumenico Tridentino conſidentibus, illibatæ, & Chriſti oraculo comprobatæ Doctoris Angelici de SS. Euchariſtia doctrinæ acclamatum fuiſſe, &

Bene ſcripſiſti de me Thoma.

noſtri

nostri omniumque superiorum sæculorum Hæreses, iuxta eiusdem doctrinam, fuisse condemnatas? Vt iure optimo Pius V. Pontifex Maximus, eam ob caussam, præcipuis Ecclesiæ Doctoribus ipsum annumerandum censuerit, eisdemque sacris honoribus, quos *Ambrosio, Hieronymo, Augustino* & *Gregorio* Bonifacius VIII. Papa decreuit, quotannis hoc die condecorandum. Exstat ea de re diploma anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo solenniter datum ac publicatum.

Ceterùm de *Gregorio Magno* Paulus Diaconus memorat, Spiritum sanctum, columbæ specie, super dictantis vertice considentem non rarò se conspexisse. *Ioanni* Patriarchæ Constantinopolitano, cui aureum eloquentiæ flumen *Chrysostomi* nomen peperit, Paulus Apostolus, quem ille mirificè coluit, scribenti & concionanti multa dictasse traditur. Sic & Doctori nostro Angelico Petrus & Paulus, Apostolorum principes, studiorum quodammodo duces ac magistri post Deum Opt. Max. exstiterũt. Vnde & candidè profiteri solitum accepimus, *Quidquid sciret, non tam studio aut labore suo sibi peperisse, quàm diuinitus traditum accepisse.*

S. Thom. diuinitùs instruitur.

Meritò itaque *Innocentius* V. Pontifex, vt erat acerrimo iudicio præditus, huius viri doctrinam diuinitus, vt dixi, acceptam tanti

fecit. vt post sacros & Canonicos codices primas illi tribuere non dubitarit. Meritò *Vrbanus* itidem Pontifex eam ipsam doctrinam Tolosanæ Academiæ Theologis impensè commendauit, vtque in suis de fide responsis eam potissimùm sequerentur, seuerè præcepit. Meritò vniuersæ Hispaniarum, Italiæ, Germaniæ, Belgij, Indiarum, aliarumque prouinciarum Academiæ, Petro Lombardo sententiarum Magistro seposito, Summam Thomisticam, velut Cynosuram quandam, sibi suisque auditoribus proponendam censuerunt.

At verò nos humiles clientes tui, magne *Thoma*, quibus Te laudibus in cœlum efferemus? quibus encomijs celebrabimus?

Virgil.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Omnia virtutum comprendere nomina possem.

Ser. Ecce plusquā Salamon hic.

Innocentius V. Pontifex *Salomoni* Regum sapientissimo Te anteponat & præferat; Pius V. *certissimam fidei regulam* indigitet, & *quintum Ecclesiæ Doctorem* Te constituat; Clemens VIII. *viuum diuinæ mentis interpretem* nominet, *vrbis & regni Neapolitani protectorem* designet; Paulus V. *splendidissimum Catholicæ fidei athletam* vocet; Ecclesia denique vniuersa *doctorem Angelicum* nuncupet: Ego peculiari ac supremo elogio Te *Malleum Hæreticorum & Vindicem veritatis* dixero. Ioannes

S.Thomas est Malleus Hæreticorum.

uersa

XXII. Pontifex Articulos tuos Theologicos vt *miracula* suſpiciat ac prædicet: mihi tua illa conſummatæ doctrinæ Summa Theologica *Turris* ſit *Dauidica,* ex qua mille contra hoſtes clypei dependent, ſit *armatura fortium,* ſit *murus* & *antemurale* contra vniuerſas omnium ætatum Hæreſes.

Ex alto itaque miſerrimi ſæculi noſtri tenebras deſpice, & diſsipa denſiſſimam mille ſectarum adeò diſſectarum caliginem, quibus maior hodie, prô dolor, Europæ pars inuoluitur. Germaniam olim tibi caram, & Alberto Magno præeunte, tui in ſtudijs altricem ac magiſtram, à Lutheraniſmo iam frigeſcente atque adeò emoriente prorſus libera. Galliam, quam tuis olim publicis in Academia Pariſienſi prælectionibus erudijſti, quamque ſacri tui corporis, Toloſæ quieſcentis, exuuijs donaſti, ab impijs Caluini erroribus, abundè olim per Te confutatis, expurga. Belgicam noſtrã, tuis olim beatiſſimis pedibus calcatã tuere & reſpice. Auulſas à nobis per hęreſim prouincias ad veterem ſocietatem, amorem ac religionem compelle. Tuis denique apud Deum precibus ac meritis effice, vt poſtliminiò redeat *Concordia Virtus,*

Cumque fide Pietas alta ceruice vagetur.

DIXI.

Cæsar Baronius Cardinalis, in Notis ad Martyrologium Romanum, 7. Martij.

S. Thomæ Aquinatis, Doctoris celeberrimi acta scripta fusiùs habentur à Dauide Romæo, Paulo Regio & Surio, tomo secundo. Plura S. Antoninus in 3. parte, tit. 23. cap. 7. & sequenti. Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir sanctissimus atque eruditissimus Theologorum præconijs celebretur, quantumque eius illibatæ doctrinæ à sanctis Patribus, in SS. œcumenico Tridentino Concilio considentibus, fuerit acclamatum: iureque ob eam caussam à sanctissimæ memoriæ Pio V. Romano Pontifice inter celebriores Doctores Ecclesiæ fuit adnumeratus, dum huius diei celebritatem ijsdem sacris solemnibus peragi voluit, quibus Bonifacius VIII. Papa Sanctorum quattuor Doctorum, Gregorij, Ambrosij, Augustini, & Hieronymi Festiuitates celebrandas constituit. Exstat de his sacrum diploma datum anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus eius an. secundo.

Hactenus Baronius.

Ioan-

Ioannes Mariana, ex Soc. Iesu, lib. 19. de Rebus Hispaniæ, cap. 8.

MAgna eruditione *Paulus Carthagena* fuit, cognomento *Burgensis*, à patria, vnde ortum habuit, & vbi Episcopum egit, professione antea Iudæus, copijs, nobilitate, doctrinæ laude, in ea gente facilè princeps. Is Diui Thomæ Aquinatis scripta de Theologia peruolutando, facilè intellexit, quantùm Christiana Religio Iudaicæ superstitioni præstaret. Noster effectus, Religionis, quam suscepit, placita litteris illustrauit, librosque edidit in suo genere mirandos. Erat enim ingenio facili, copioso, perspicaci, & diuinarum litterarum cognitione præstabat. Treuigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginensis Præsul, postremò Burgensis creatus. Id probitatis eruditionisque pręmiũ fuit. Addita consequentibus annis scrinij Regij Præfectura, perspectæ fidei argumẽto, quod rarum in ea gente est. Eiusque illa vox fuit (sic fama tulit) ex ea gente prognatis nullam Reipublicæ partem committendam videri, moribus ex fraude & mendacio compositis, simulare mentirique natis, neque bellò bonis, neque pace. Tres filios ex vnis nuptijs reliquit, priusquã noster esset, susceptos, *Alfonsũ*, qui ex Decano Segobiensi in defũcti patris locũ subrogatus Burgẽsis Episcop⁹ fuit,

Paulus Burgensis ex Iudæo fact⁹ Christianus per lectionẽ Summæ D. Thomæ.

cuius exſtat de Hiſpaniæ Regibus opus non inelegans, cui Anacephaleoſi nomen fecit; *Gonſaluum*, virtutum merito Placentinum Epiſcopum, *Aluarum Garſiam*, familiæ propagatorem, ſanguine, vti erant eius tempeſtatis mores, cum nobilibus Hiſpaniæ familijs conſuſo: cuius extant commentaria de rebus, Ioanne ſecundo Caſtellæ Rege, geſtis non ineleganter conſcripta. *Hactenus Mariana.*

Ceterùm Paulus Burgenſis ſcripſit *Additiones ad Poſtillam Nicolai Lirani*, quæ exſtant cum Lirano, & ſeorſim editæ. Scripſit inſuper *Scrutinium Scripturarum contra perfidiam Iudæorum*, libris duobus in folio Pariſijs excuſum. Floruit anno Chriſti 1429. quo Additiones ad Liranum ſe abſoluiſſe fatetur. Eſt autem ex Rabbino eruditiſſimo factus Chriſtianus, per lectionem Primæ Secundæ S. Thomæ, quæſt. de Legibus; vt Stephanus Garibaius in Hiſtoria Hiſpaniæ, & alij tradunt.

Ex Alfonſo Fernando in Concertatione Prædicatoria Salmanticæ anno 1618. edita.

PAtres Dominicani primarias Theologiæ Cathedras moderantur in nobiliſſimis Hiſ-

Hiſpaniarum & Indiarum Academijs, vt in *Salmanticenſi*, *Valliſoletana*, *Complutenſi*, *Conimbricenſi*, *Oſſunenſi* circa an. 1531. fundata, *Compoſtellana*, *Toletana*, *Ouetenſi* anno 1608. fundata, *Granatenſi*, *Hiſpalenſi*, *Biacenſi*, *Valentina*, *Barcinonenſi*, *Cæſarauguſtana*, *Ilerdenſi*, *Oſſenſi*, & *Tarraconenſi* in Hiſpanijs, in *Mexicana* & *Limenſi* in America, & alijs.

Ex Ferdinando à Caſtillo, lib. 2. cap. 70. de ſcholis olim litterarijs PP. Dominicanorum.

F. Ioannes Vercellẽſis, Ord. Prædicatorum ſextus Magiſter generalis, in comitijs totius Ordinis ſtatuit, vt religioſi fratres ſui ordinis vbique deſignarentur, qui pueros inſtituerent ac docerent. Quod etiã in comitijs generalibus anno 1251. Metis in Lotharingia celebratis antea decretum fuerat.

* * *

FINIS.